



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

### Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

### About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>

J. rom. m.

53









3987

J. rom mat. 53.

GEO. THEOPH. BOERNERI  
S V P E R  
PRIVILEGIIS PICTORVM


LIBER SINGVLARIS



L I P S I A E

APVD CAROLVM LVDOVICVM IACOBI

CID 13 CCL I





**Bayerische  
Staatsbibliothek  
München**

EPISTOLA  
AD VIRVM CONSULTISSIMVM  
GOTHOFR. DAVIDEM  
SCHREITERVM

IURIS VTRIVSQUE DOCTOREM

ATQVE

CAVSARVM PATRONVM

CELEBERRIMVM



*oli mirari, CON,*  
SVLTISSIME  
SCHREITERE,  
*quid sit, cur lae-*  
*titiam, quam ex honoribus,*  
A2 *qui-*

*quibus nuper a Jurisconsultorum ordine auctus es, ceperim, nunc primum publice declarem. Priuilegia enim me scripsisse scias, quorum ea est grauitas, ut, nisi summa adhibita fuerit cura et aequitatis studium, facile aliquid offensionis continere possint, cum in singulos statuuntur. Quae ratio, si minus Tibi placuerit, velim id consideres, non me honores, sed doctrinam imprimis Tibi gratulari, cuius ea in Te est amplitudo*

tudo, ut iam dudum iisdem,  
quibus nunc ornatus es, titu-  
lis compellendus esses. Neque  
dubito, quin huic etiam gra-  
tulationi locum daturus sis,  
cum negligentia non praeter-  
missa, sed ingenii imbecillitate,  
dilata sit. Quicquid itaque  
sit, mirifice laetor, tam iucun-  
dam mihi copiam factam esse  
studiorum, voluntatis, officii,  
observantiaeque in Te summae,  
cuius longe potiore, quam vi-  
rium habendam esse duxi rati-  
onem,

*onem, amplissimis verbis testificandae. Ex quo enim tempore, amicitia Tua, ad quam natura me duxit, ex quo, inquam, ea mihi uti licuit, cognoui, in Te multa inesse, quae maximam Tibi afferant laudem, et quae, tanquam propria nominis ornamenta, Te commendent. Namque, ut singularem humanitatem, modestiam, integritatem, morum elegantiam, quas praecipue virtutes in Te colo,*  
*omit-*

omittam, in eo imprimis inter  
multos excellere mihi videris,  
quod studium iurisprudentiae  
a patre et patruo, quem avum  
veneror, acceptum, tanto labore  
et industria tractes, atque in il-  
lud maximopere, ad quod pro-  
pter insignem in causis orandis  
strenuitatem natus videris,  
incumbas. Vtrum vero hanc  
paternae virtutis aemulatio-  
nem, an summam sollertiam et  
perfectam iuris cognitionem  
magis suspiciam? Tu enim es

A 4 de-



*demum antiquis iureconsultus  
artibus: Te iuris legumque  
peritum omnino appellare au-  
dea, qui et iura apud nos in-  
troducenda, et leges institutaque  
Romanorum ita tenes, ut non  
usum solum, sed interpretandi  
rationem causasque legum in-  
tellegas. Sed pudor et infantia  
in dicendo me impediunt, quo mi-  
nus virtutes Tuas, Vir Con-  
sultissime, quibus admodum de-  
lector, longiori oratione per-  
sequar, maxime, quia vereor, ne,  
cum*

cum a me laudatus fuisses, non  
tantillum quidem existimationi  
Tuae accessisse videatur. Noui  
praeterea, quam Tu egregie ho-  
noris sis cupidus, usque adeo, ut,  
nisi fuissent, qui Te hortaren-  
tur, amici, nondum praemiis,  
quae merita iam sunt, orna-  
tus esses. Quam ob rem in eo  
elaborabo, ut, quantus doctri-  
narum, quae in Te sunt, aesti-  
mator sim, quantopere in  
virtutibus Tuis imitandis eni-  
tar, intellegas, Tibique adeo  
per-

*persuadeas, omnium, quae-  
cunque Tibi prospere eueniant,  
vehementer me, qui totus  
Tuus sum, participem fieri.  
Ego vero maiorem in modum  
Terogo, ut eandem, qua erga me  
usus es, beniuolentiam, eun-  
demque animum in posterum  
mibi conserues, meque meas-  
que res in fidem atque cliente-  
lam recipias. Vale, meque  
Tui studiosissimum  
ama.*

C A P V T



## CAPVT I

### *De Dignitate Pictoriae.*



um summa artis Pictoriae  
suauitas, et praestantia, tum  
vero eius auctoritas et am-  
plitudo, quae a cultissimis  
terrarum gentibus ei tri-  
buta fuit, animum meum iamdudum alli-  
ciunt, atque ita capiunt, vt idem, quod  
reliquis excellentissimis artibus, huic  
quoque, statuendum esse pretium pūtem.  
Etenim, si quis fata tantummodo et  
vicissitudines huius artis considerauerit,  
perspiciet, quod ad dignitatem eius pluri-  
mum

mum refert, tum potissimum, cum optimarum artium studia et doctrinae florent, apud eos populos, qui ingenio, monumentorum copia, et discendi cupiditate ceteris praestarent, cultam, et ad summum fastigium euectam, tum vero, vbi literarum et omnis Disciplinae elegantia interiiisset, foedissime deprauatam, veterisque prorsus dissimilem fuisse. Proinde, cum patriae nos amore maxime ferimur, animaduertimus, in Germania artem pingendi <sup>(1)</sup>, eodem, quo literas, tempore celebrari coepisse. An postea, quam SEBOLDVS BEHAMIVS, MARTINVS SCHOENIVS, IOHANNES ROTTENHAMERVS, ALBERTVS

---

1) Scite et eleganter FELIX FABRI, *Vlmensis, ex ordine S. Dominici, in hist. Sueuorum Lib. I, c. 8. Reuixit in Germania scientia et eloquentia, & ex consequenti quaeque ingeniosae artes, ut picturae et sculpturae: amant enim se hae artes ad inuicem, &c.*

TVS DVRERVVS, ALBERTVS ALDEGRAEFIVS, quos tanquam conditores auctoresque nomino, mortui fuerunt aequè ea fertilis doctissimorum hominum prouentu fuit? Hi enim summi pictores, Germaniae decora, nonne REVCHLINI, AGRICOLAE, ERASMI, MELANTHONIS, CAMERARII, EOBANI, aliorumque eadem doctrina clarissimorum memorantur aequales? Is sane, opinor, lippus, aut Thamyras sit, quin perspiciat, Pictoriam et reliquas liberales artes summa inter se cognatione contineri. Saepe equidem miratus sum, cur nostra aetate nulli fere inueniantur inter eruditos, qui tam eximiae arti operam dent, admodum pauci, qui elegantissimis artificum operibus delectentur, eaque, quae ad naturam proxime accedunt, sibi perlustranda sumant: plurimi contra, qui omnem eius curam sapiente indignam iudicent, cum tamen veterum, et Graecorum maxime permulti



multi sibi honori duxerint, si huic quoque studio aliquod tempus tribuissent, atque in eo etiam eximium quid elaborare possent, plerique autem studerent, ut intellegentes saltem artis esse viderentur. Quod, si exemplis confirmandum est, memini, me in QVINCTILIANO <sup>(2)</sup> legere, Euphranorem, qui, auctore PAVSANIA, <sup>(3)</sup> in Ceramico Theseum cum populo, et Lacedaemoniorum ad Mantineam proelium pinxit, et optimarum doctrinarum, et pingendi fingendique miram habuisse scientiam. De L. Paulo tradit PLINIVS, <sup>(4)</sup> antiquitatis studiosissimus, cum Athenienses, Perseo victo, rogasset, ut Philosophum, qui pueros doceret, et Pictorem, qui tabulas in triumpho exhibendas pingeret, Romam mitterent, datum id eius precibus fuisse, Metrodoro delegato, quem utriusque officio aptissimum iudicassent. En Pythagoram  
omnis

---

2) *Inst. Orator.* XII, 10.

3) *Att.* p. 9.

4) *Hist. Nat.* XXXV, 40.

omnis paene sapientiae inuentorem! scribit de eo PORPHYRIUS. (5) παῦδα μὲν ὄντα (ὁ Μνήσαρχος) ἔπεμπεν εἰς τε κηθαρῆς, καὶ παιδοτρίβας, καὶ ζωγράφους, sc. διδασκαλείον. Superuacuum esset, plura, vti Socratis, Platonis, Pyrrhique exempla afferre, cum satis haec inertiae nos accusent. Sed video, permultos insuper gloriari hanc suam ignorantiam, et imperitos neglegentesque picturarum dici uelle, id maxime urgentes, parum, aut nihil utilitatis inde proficisci. quibus videlicet ita occurrendum est, non fructibus tam, quam magnitudine et excellentia, artes esse metiendas. atque id in Pictoria maxime obseruandum esse, quae Poeticae etiam anteponenda sit, cum (6) animos celerius et vehementer-

---

5) Vit. Pythag. §. 11.

6) Ob hanc virtutem ARISTIDES QUINCTILI-  
LIANVS L. II. de Musica, artem pingendi  
cum

mentius commoveat, unde HORATIVS  
ait (7):

*Segnius irritant animos demissa per  
aurem*

*Quam quae sunt oculis subiecta fidelibus,  
et quae*

*Ipse sibi tradet spectator.*

Quaeso, an in carmine, mores, animus, gratia, seu venustas, tam excellenter exprimi poterit, quam a pictoribus? Deinde, si elegantiam, id est iudicium discernendi, quo literarum studio valde opus est, spectemus, credibile est, eum, qui multum et curiose lectissimas picturas inspexerit, non ingenio minus, quam oculis eruditus, uti. Iam, ne quis fructuum inanem esse putet, difficile dictu est, quantum ea in

---

cum Musica confert: γραφικὴ μὲν καὶ πλα-  
στικὴ δι' ὅψεως παιδεύει μόνον, καὶ ὁμοίως δὲ  
γαίρει τὴν ψυχὴν καὶ εκπλήττει  
7) *Artis Poet.* 180.

in Geometria et Architectura, vt scientiam  
 secandi hominis, aliasque nobilissimas di-  
 ciplinas mittamus, vtilitatis praebeat. ad  
 easdem enim regulas exigitur, quicquid  
 Geometriae, architecturae, et pictoriae  
 gnarorum labore perfectum est. eandem  
 in lineis, et ipsa descriptione, vnde Sym-  
 metria, quam vocant, efficitur, eandem,  
 inquam, adhibent diligentiam. Idcirco  
 VITRUVIVS<sup>(8)</sup> scientissime in praecipuis  
 architecti virtutibus hanc posuit, vt Graphi-  
 dem<sup>(9)</sup> teneret, sine qua nihil perfecti, et ex  
 quo

8) *De Architect. I, 1.*

9) De Graphide varia in *Lexico Vitruvio*. Ve-  
 reor tamen, vt commodè interpretati sint, pe-  
 ritiam pingendi, scribendi, lineandi. Malim  
 equidem, qui SCHEFFERO, VOSSIO, aliis-  
 que, assentior, de pictoria lineari solum expli-  
 cari. Sequimur enim ipsius VITRUVII au-  
 ctoritatem, qui, cum in loco a nobis laudato  
 dixisset, vtilem architecto esse graphidos pe-  
 ritiam, paulo post negat, tantum esse debe-  
 re

quo exactum illud iudicium atque admirabilis rerum omnium, quae visu percipiuntur, exprimendarum facultas appareat confici potest. Supersedeo reliquis, quae

---

re pictorem, ut Apellem, sed graphidos non imperitum, quae alia intellegi potest ars, quam ea, quae lineas ducere docet, (*il disegno*) cum praeter istam, reliqua pictoria architecto prorsus non opus sit. atque haec ratio antiquissima est, carbone, rubrica, aut testa etiam delineandi, quam deinde, teste PLINIO, *Hist. Nat. XXXV. 5.* ars Monochromatis pingendi secuta est. Eiusmodi *praelia rubrica picta aut carbone* HORATIO S. II, 7, 98. memorantur. Tales *μεταφορικῶς* EPICVRVS ap. CIC. *de Nat. Deor. L. II*, commentus erat Deos monogrammos, hoc est, ita macie confectos et pellucidos, ut lineis videantur adumbrati. vid. ad h. l. clavis Celeb. ERNESTI, quem, quoad viuam, propter summam eruditionem et humanitatem colam. Exquisitioni et rarissima significatione *γερὰς* in  
Epi-

quae inde nascuntur, vtilitatibus commemorandis, cum ab aliis me longe doctioribus<sup>(10)</sup>

B 2

et

*Epigrammate Cometae* (ANTHOL. IV, 301. Ed. Steph.) pro pictura, tabulae picta, ponitur:

Ἀλλὰ σοφός με Φίλιππος, ὃν ἐν ΓΡΑΦΙ-  
ΔΕΣΣΙ δοκίμεις

Ζώγρησε, κρυερὴν νῆσον ἀκισσάμενος.

- 10) Praecipue laudandi hic sunt LEO BAPTISTA DE ALBERTIS L. II. *de pictura*. Liber iste elegantissimus et latinissime scriptus primum a THOMA VENATORIO, Norimbergensi, Basileae, 1540 fuit publicatus, deinde Italice, Venetiis prodiit, et a IOH. DE LAET praestantissimae Vitruvii Editioni insertus fuit: tum praeter doctissimum hunc Mathematicum, IOH. SCHEFFERVS in egregio *de arte pingendi* opusculo: GERH. IOH. VOSSIVS L. I. *de IV, artibus popularibus*. FRANCISCVS IVNIVS in amplissimo *de Pictura veterum* libro: eruditissimus denique IOH. FRID. CHRISTIVS, (quem non mihi ipse solum



et subtilioribus vehementer haec ars fit elata.

---

lum, propter paternam fere erga me indulgentiam, et miram comitatem, sed bonis omnibus, et huic inprimis Academiae, gratulator) in exquisito libro, qui inscriptus est *Otii Regalis Acroamata* p. 75 et seqq. Lectu etiam digna sunt, quae uterque RICHARDSONIVS, pater et filius, in hanc rem subtiliter et com-  
pte scripserunt *dans leur Traité de la peinture* Tom. II. p. 114.



CAPVT



## CAPVT II

*Historia Pictoriae.*

**P**erspecta artis excellentia, id agamus, vt, quemadmodum, quibus temporibus Graeci et Romani ei fuerint intenti, appareat, quo commodiori via ad opus ipsum deducamur. Atenim, seu magnitudo historiae, seu potius instituti ratio, quod de priuilegiis Pictorum apud Romanos differere animum induxi, me impediunt, quo minus Graecorum studia, vti ars ista ἐν γάλαξιν καὶ σπαραγάνοις, vt ita dicam, iacuit, apud quos ad summum fastigium perducta fuit, repetam. Quare, vt primordia saltem huius artis spectemus, Illacis temporibus nondum inuentam fuisse, PLINIVM<sup>(1)</sup> testem habemus. Nec

B 3

ma.

---

<sup>1)</sup> H. N. XXXV. 6.

magnopere ista nos mouent, quae de clypeo Achillis, cuius HOMERVS meminit, quidam cum specie opponunt, cum certum sit, Plastice, <sup>(12)</sup> Statuariam, et Caecaturam multo antiquiores esse Pictoria. Adiicit mox idem, breui mirabiliter hanc artem creuisse, et Candaulis, <sup>(13)</sup> qui Olymp. XVIII. vixit, aetate ita consummatam fuisse, vt nihil addi posset. quae sane fortuna summae huius artis propria videtur, cum nostra hoc idem memoria euenit, vt, <sup>(14)</sup> qui in renouanda restituen-  
daque

12) Cui Pandora lepide a Vulcano ficta in memoriam non redeat? Efficimus vero hac fabella HESIODI iam aetate, qui HOMERI facile aequalis fuit, artem fingendi floruisse. Ignoti enim nulla cupido.

13) H. N. XXXV. 34.

14) Quis ignoret summa Italorum nomina LEONARDI DA VINCI, ANDREAE MANTEGNA, MICHAELIS ANGELI BVONAROTTI, et, cui omnes cedunt, SANCTII RAPHAELIS DA VRBINO, vt alios taceam?

daque operam ponerent, ad summum flatum venirent. Dubium est, Corinthii, an Sicyonii, pictoriam inuenerint, cum STRABO (15) auctor sit, utrosque in ea excelluisse. Magis tamen animus inclinat, ut Sicyoniis hanc laudem tribuam, hoc, quod inter varias pingendi rationes (Scholas hodie vocant) Sicyonia maxime celebratur. Igitur Eumolpus Sicyonius auctor est, tria potissimum pingendi genera innotuisse, Helladicum, Asiaticum et Sicyonium. Idem discrimen PLINIVS (16) statuit, ita quidem, ut Atticum (17) pro eo, quod omni Ελλάδι, Graeciae propriae, commune esset, poneret, Ionicum vero, de nobilissima Asiae propriae parte, Ionia, diceret. Sed Sicyoniam, quae vni Achaiae ciuitati com-

---

15) L. VII. 263.

16) H. N. XXXV. 36.

17) Quot quantique Athenis pictores inclaruerint, vel ex PAUSANIAE Atticis cognosci potest.

18) ATHEN. V. 6.

competeret, pingendi rationem item adhibuit. Satis enim constat, quanti veteres πάντες τῶν Σικυανικῶν ζωγράφων <sup>(18)</sup> aestimauerint. An Eupompi, Pamphili, Melanthii, Apellis ingenia, vti cochleae aestate, in occulto latent? Sentio non parum adiumenti ad existimationem huius scholae, vt verbo aptissimo vtar, demonstrandam, ex loco quodam PLYTARCHI <sup>(19)</sup> peti posse, quippe qui Arati etiamnum tempore Sicyone hanc artem floruisse tradit, quem regnantē Philippo II. exercitui praefuisse scimus. Possit, opinor, aliud pingendi genus, Rhodium nempe, addi, si ANACREONTIS <sup>(20)</sup> verba sequi velimus:

Γρά-

19) *Vita Arati* (Ed. Lond. T. V, p. 324.) Ἦνθα γὰρ ΕΤΙ, inquit, δόξα τῆς Σικυανίας μύσης, καὶ χρηστογραφίας, ὡς μόνης ἀδιάφθορον ἐχέσης τὸ καλόν.

20) Vid. ad h. l. clariss. IOS, BARNESIVS, qui, quoad verba etiam, a TANAQ. FABRO non discrepat.

Γράφει ζωγράφων ἀρίστῃ

Ποδῶς κοίτῃς τέχνης

Explicatius iam studia Romanorum in Pictoriam persequamur, si quidem tanta sunt, ut fusius praedicari possint. certe non affirmauerim, illud, quod alias Romani iactarent,

*Adiecere bonae paullo plus artis Athenae*  
de graphice quoque intellegendum. Neque ii ipsi, adeo diffimulasse videntur, se, ut Musica et Gymnastica, ita pingendi etiam arte, multo inferiores esse Graecis hominibus. num aliter HORATII <sup>(21)</sup> versus explicare possumus? Pin-

21) II. Ep. I. 32. non occulte iactantiam et gloriam Romanorum HORATIVS perstringit, quorum in ore, ut TORRENTIVS scite animadvertit, illud *Venimus ad summum* saepissime fuit. non enim, quae sequuntur, *si meliora dies, ut vinum, poemata reddit*, seiungenda sunt. egregie puto Plautinum salem HORATIO stomachum mouisse: *Qui vetere utuntur vino, laudo, et qui veteres legunt fabulas.*

*Pingimus, atque  
Psallimus, et luctamur Achivis doctius  
unctis*

pertinet huc etiam illud VERGILII: (22)  
*Excudent alii spirantia mollius aera. Quid?*  
quod non mature huic arti honos conti-  
git. quandoquidem DIONYSIVS HALI-  
CARNASSAEVS (23) auctor est, Romu-  
lum iussisse, vt ingenui agriculturam et ar-  
tem militarem (24) exercerent, *ferui Ba-  
vavovog (25) καὶ ἐπιδοφίους τέχνας*, quas CICE-  
RO

22) *Aen.* VI. 848.

23) *Ant. Rom.* II. 38.

24) Serui, et infirmi e plebe, proletarii et capite  
censi, qui artes fellularias exercerent, nun-  
quam, quod sciam, in militia adhibiti fuerunt,  
nisi bello grauiori imminente. Ita LIVIVS  
VIII, 20. tradit, Mamercum opificum quoque  
vulgas, et fellularios, minime militiae idone-  
um genus, ad bellum Gallicum exciuisse.

25) Malim quaestuosas, quam fordidas et illibera-  
les, verti, cum omnes eae artes, quibus  
victum quaerimus, *Bavavovog* dicantur, dum a  
labo-

RO VNO verbo quaeſtuofas vocat, tractarent. quod quidem institutum diu poſtea obtinuiſſe ait. Belli enim Hetruſci tempore nondum ciui Romano licuit mercatori eſſe, aut quicumque demum manibus operetur. Οὐδενὶ γὰρ ἐξῆν Ρωμαίων ἔτε κάπηλον, ἔτε χειροτέχνην <sup>(26)</sup> βίον. ἔχειν. Patres in-

---

laboribus Reipublicae cauſa ſuſceptis diſtinxeris. Sic in Lacedaemoniorum Republica idem, quod apud Romanos, institutum valuit. narrant et XENOPHON in *Rep. Lac.* VII. 2. et AELIANVS *Var. Hiſt.* VI. 6. LYCVRGVS itaque, AELIANO teſte, ciuibus interdixerat βάναιον τέχνην, quam XENOPHON longe melius expreſſit τὰ ἀμφοὶ χρηματιζόμενα, id eſt, quae propter rem, ſeu diuitiarum cauſa, facimus.

26) DION. HALIC. *Ant. Rom.* V. 25. dixerim fere DIONYSIVM κάπηλικὸν ſcripſiſſe. poterat, ni fallor, abbreviatura huius verbi ab oſcitanti librario facillime neglegi. Sed nullius emendationis locus indiget, cum apud AESCHYLVM κάπηλα τεχνήματα legamus. Exquiſite hic κάπηλος pro doloſo, ſeu fraude vitiato, AESCHYLVS poſuit, cauponariam artem



inprimis a quaestu se abstinuerunt, ut qui indecorus eis videretur. hinc Q. Claudius tribunus plebi, LIVIO (27) auctore, lege cauit, NE QVIS SENATOR QVIVĒ SENATORIS PATER FVISSET MARITIMAM NAVEM QVAE PLVS QVAM TRECENTARVM AMPHORARVM (28) ESSET HABĒRET. Coluit dein haec lex in Iulia de Repetundis. C. Fabius primus, et quidem aedem Salutis pinxit, non tamen adeo magna cum

---

tem respiciens, ubi vinum adulterarent. Saepius καπηλεύειν significat quaestum facere HERODOTVS III. 89. 2 Ep. ad Cor. II. 17. HESYCH. explizat πραγματεύεσθαι. haud dubie ENNIUS ap. CIC. I. Offic. 12. *Nec cauponantes bellum, sed belligerantes* AESCHYLVM imitari voluit, qui in *Septem Thebana* v. 551. scribit: Ἐλθὼν δ' εἴκειν ἔ καπηλεύσειν μάχην. Sed haec obiter.

27) XXI. 63.

28) CCC. amphorae (FESTO Quadrantalia) aequant XV. culeos. puto triticum, vinum, oleumue, intellegi debere, quia adiicit, satis hoc fuisse ad fructus ex agris vectandos.

eum laude, si CICERONEM <sup>(29)</sup> audiamus. *An censemus, inquit, si Fabio, nobilissimo homini, laudi datum esset, quod pingeret, non multum etiam apud nos futuros Polycletos et Parrhasios fuisse?* Sed ista sane ingenio TVLLII condonamus, qui in iis virtutibus et artibus, quibus Graecos Romanis valde praestare sentiret, admodum friuole et inuidiose verlatus est. Namque plurima omnino ab eo inde tempore pictoria cepit incrementa. non ipse solum Fabius, <sup>(30)</sup> verum, qui ex eadem familia orti essent, honoris et gloriae causa, Pictoris cognomine vsi sunt. quid? honorificentissime picturae Fabiae PLINIVS <sup>(31)</sup> meminit, commemorando plures

no-

29) *Tusc. Qq.* I. 2.

30) PLIN. *H. N.* XXXV. 7. Ita M. VOLSCIVS a Plastica, seu arte fingendi, Fictor nuncupatus est LIV. III. 13. fortassis etiam C. Marcius Figulus LIV. XLIV. 1.

31) Praeter Fabium, Pacuvium, et Q. Pedium doctissimus LEO BAPTISTA DE ALBER-

TIS

nobilissimos, qui eum deinceps secuti essent. nec tamen officit, apud eundem<sup>(32)</sup> legi, iam regum temporibus in Italia artem pingendi absolutam fuisse, cum Hetru-  
 quod sciam, summis ante ingeniis, quam Romani, in ea, claruerint. Tum enimvero mos inualuit, ut urbium devictarum figuras in triumpho exhiberent, ut plurimas tabulas pictas, quibus mirifice delectarentur, secum Romam vehi curarent. M. Valerius Maximus Messalla<sup>(33)</sup> primus v. c. ccccxc. superatis Hierone et Poenis, in triumphali pompa, quo magnificentior existeret, commissum cum his proelium circumferre: Syracusas primus picturis spoliare. Idem factum est a M.  
 Mar-

---

TIS L. manilium, Turpilium, et Sitedium clarissimos viros laudat.

32) H. N. xxxv. 6.

33) H. N. xxxv. 7.

Marcello, <sup>(34)</sup> quem Syracusis, opulentissima tunc ciuitate, picturas Romam tulisse ferunt. Mouit hac tempestate adeo Romanos pictoriae pulcritudo, vt se ipsi triumphantes pingi iuberent. Tales picturas M. Fuluii Flacci, et L. (vti rectissime emendant) Papirii Cursoris memorat **FESTVS**, quarum altera in aede Vertumni, altera in aede Consi, fuit constituta. hunc **ex LIVIO** †) de Samnitibus triumphasse constat. Iam paucis abhinc annis ita pictoriae studio flagrabant, vt Pictores, fectoresque aequae, ac Grammatici, Rhetores et Sophistae, iuuentuti operam darent. Sic L. Aemilium Paullum, qui bello Macedonico tantopere inclaruit, scimus, pueros non patrias solum, sed Graecas etiam artes, docendos curasse. *Οὐ γὰρ μένιν*, inquit **PLVTARCHVS** <sup>(35)</sup>

*γραμ-*

34) **LIV.** XXVI. 21.

†) **X.** 46.

35) *Vita Aemilii* (T. II. 153.)

γραμματικοὶ, καὶ σοφισταί, καὶ ῥήτορες, ἀλλὰ καὶ πλάται, καὶ ζωγράφοι, καὶ πώλων, καὶ σκυλάκων ἐπιστάται, καὶ διδασκάλοι θήρας ἔλθιν, ἔστησαν περὶ τὰς νεανίσκας. Arbitror, veniam me impetraturum breuitatis, eo, quod haec, quae persecuti sumus, tantis oppressa sint tenebris, quae subsequenti-um sint saeculorum, iamiam, vbi opus ipsum aggredimur, quantum fieri poterit, explicaturi sumus.



CAPVT



## CAPVT III

*De Priuilegio nonnulla.*

**N**on dubito, fore, quibus ea, quae prae-  
fando super excellentia et splendore  
huius artis exposuimus, sufficere videantur,  
cum intellegant, doctis ne auribus scriptio  
nostra fastidium afferret, aliquantum me  
studuisse. Veniam quidem dent iuueni, si,  
quod sentio, expectationi non satisfecero;  
magis tamen, priuilegia, id est, iura sin-  
gulis data, scripturus, incertam et imperi-  
tiam legum antiquarum ipse deprecor, ut-  
pote in quibus parum adhuc temporis  
consumserim. Antequam initium dicendi  
faciamus, de Priuilegio, quotuplex sit,  
differere animus est. Atque Iureconsulti  
quidem alia odiosa, alia fauorabilia priui-  
legia esse aiunt *D. l. r. g. 2. de C. Princ.* nec  
C du-

dubium, a SVETONIO (36) inde in vtramque partem dici. Antiquiores pariter hoc verbo vfos fuisse, non putem. Etsi video, summos Iuris magistros hac in opinione versatos esse, vt putarent, Decemviralem illam legem

PREIVILEGIA NEI IRROGANTO  
NEIVE DE CAPITIBUS CIVES NISI  
MAXIMO COMITIATV FER-  
RVNT

et quae in gratiam, et quae in damnum singulorum iussa essent, vetare: tamen non possum non MARCILLII, RITTERSHVSI, NOODTIQUE sententiam amplecti, qui de poenis et suppliciis priuilegia interpret-

---

36) *Caes.* 29. *Vesp. cap.* 9. apud TACITVM *Annal.* III. 28. priuilegia parentum, qui nempe lege BAPIA POPPAEA matrimonium contraxissent. sed in contrariam quoque partem priuilegia dicuntur in singulos latae quaestiones *Annal.* III. 27.

pretantur. Haec enim ratio, ni fallor, optima et firmissima est, quod consuetudine loquendi nititur. Nuspiam CICERO (37), quem diligentissimum legum interpretem scimus, vel, ubi hanc legem commemoraret, vel alias, de praemio seu beneficio in singulos collato explicauit. at quomodo scita in singulorum fauorem aliter appellabimus? quidni legem? Verum CICERO et SALVSTIUS, legem Maniliam, legem de Cicerone reuocando commemorantes, non proprie, sed translate, locuti sunt. Esto illud. sed

C 2

tamen

---

37) Priuilegia is quidem III. Leg. 19. interpretatus est leges in singulos, non pro singulis, latas. priua, FESTO et GELLIO auctore, X. 20. sunt singula. ap. LIV. XXX. 4. legimus *priuor lapides filices et priuas verbenas*. Fetiales enim vnīs singulisue sagminibus in foedere feriendo vsi. ideo ap. eundem, l. I. 24. ubi Romani foedus cum Albanis sancirent, *puram herbam* interprete priuam, vnicam; paullo post enim ait, *verbena caput capillosque tangens*.



tamen non alio vnquam vocabulò vfi sunt. Differte ille quidem, quo magis perfpicua res fiat: *Omniū legum iniquiffimam, diffimillimamque legis eſſe arbitror eam, quam L. Flaccus interrex de Sulla tulit,* VT OMNIA QVAECVNQVE ILLE FECISSET ESSENT RATA. addit tamen non hominis, ſed temporis, fuiſſe legem. hinc illud etiam cerni poteſt, iura ſingulis tribui licuiſſe. quod de poenis CICERO manifeſte affirmat: *nemo unquam tulit,* ſc. priuilegium. plena eſt hiſtoria Romana exemplorum, quae, ſingulis ciuibus <sup>(38)</sup> propter merita in patriam inſignes praerogatiuas datas fuiſſe, probant. Cedo, quidni tribunicias rogationes, quibus C. Marius, Q. Popillius, Q. Metellus reſtituti ſunt? Praeterea doctiſſi-

---

38) LIV. V. 41. refert M. Furium Camillum decreto ſenatus de exilio fuiſſe reuocatum. aliquo pacto huc referri poſſunt Horatii Coclitis et Cloeliae ſtatuæ.

doctissimi iam homines (39) probarunt, irrogare nonnisi in deteriore partem accipi posse. Neque, quod pace viri celeberrimi, qui de Priuilegiis nuper doctissime differuit, dixerim (40), QVINCTIANVM in interpretandis antiquarum legum verbis sequar, quem quinque post saeculis vixisse constat. Sed quid attinet copiosius sententiam nostram exponere, cum non de legibus iis, quae ad priuos pertineant, sed quae pro toto ordine, seu societate, Pictorum videlicet, latae sint, agemus. Quamuis in eo, duo haec Priuilegiorum genera conueniant, quod a Iure communi (41) recedant *D. l. 16. de L. SC.*

C 3

et

---

39) CONR. RITTERSHVSIVS in *Comm. ad Leges XII. Tabb.* p. 43. et GER. NOODTIVS *Comm. ad Digesta Opp. T. II.* p. 12. in lege XII. Tabb. scripturos fuisse decemuiros aiunt NE PRIVILEGIA ROGANTO, si praemia quoque et iura tribui nollent.

40) *Inst. Orat. X. 3.*

41) Vid. ENENKELIVS de *Priuilegiis L. I.*

c 3.

et cum persona plerumque intereant *D.l. 196. de R. I.* tamen hoc inprimis differunt, <sup>(42)</sup> quod alterum vni, *D.l.I. §. 2. de C. P.* alterum pluribus eiusdem conditionis tribuatur. Sunt sane haec singularia iura dicenda, quae vel sexus, vel aetas, vel ars, vel dignitas, attulit, atque ab illis, in quibus personae ratio habetur, probe discernenda.

c. 3. ideo priuilegium nonnulli interpretantur *priuans legem.*

- 42) CUIACIUM Obs. xv. 8. sequor, cuius verba haec sunt: *Priuilegia non in personam solum concipiuntur, sed vel in plures personas eiusdem conditionis, ut priuilegia dotium, vel certe ad vniuersos ciues pertinent.*



CAPVT



## C A P V T IV

*Priuilegium Graecis pictoribus  
datum ex Plinio.*

*Et huius (Pamphili) auctoritate effectum est Sicyone primum, deinde in tota Graecia, ut pueri ingenui ante omnia graphicen, hoc est picturam in buxo, docerentur, recipereturque ars ea in primum gradum liberalium. Semper quidem honos ei fuit, ut ingenui exercerent, mox, ut honesti, perpetuo interdicto, ne seruitia docerentur, ideo neque in hac, neque in toreutice, ullius qui seruierit, opera celebrantur.*

**E**t si verissimum illud est, quod PLINIVS, diligentissimus in pictorum omnis memoriae historia scriptor, scienter et docte differit, nullam esse artificum gloriam, nisi eorum, qui tabulas pinxerint, eo-  
C 4
que

*que magis venerabilem apparere antiquitatem*, negari tamen non potest, magnum temporis interuallum esse interiectum, donec apud Graecos in liberalium artium numerum pictoria reciperetur. quod quidem eo mirabilius est, quo excellentiores, post Xerxis (43) e Graecia fugam, ad Philippi usque tempora, in ea, exsistere, quo longius Pamphilum ii post se reliquerunt. Is certe, seu auctoritate apud Sicyonios conspicuus, seu, quod omnibus literis primus eruditus esset, artem, liberalem, hoc est, ab ingenuis exercendam reddidit. Nihil opus est, eos, qui opusculum hoc quaecunque legendum sibi sumserunt, insigne hoc pictorum ius tot saeculis in Graecia florentissimum explicando, morari, cum vel ii, qui in Graecorum rebus tyrocini-um posuerint, sciant, neque pictorem, neque statuarium a quoquam scriptore memo-

---

43) Vid. DIOD. SIC. XII. p. 291.

morari, nisi liberum. Age, videamus potius, num apud Romanos item liberalis habita fuerit. Quod etsi difficillimum, maximeque impeditum, videri possit, tamen aliquo modo explanare et demonstrare etiam ausim. Scilicet doctissimi homines (44) argumentis sat validis euicerunt, alias artes liberales, alias populares, Romanis dictas fuisse, ut quaestuosas, quae plane serviles essent, omittam. Ac populares quidem, quae, quod ad omnem populum pertinerent, ita appellatae sunt, Gymnasticen, Musicen, Grammaticen, et Graphiden, arbitrati sunt. Haec enim sola elementa, seu initia artium, seruis, quorum ingenia solidioribus doctrinis prohibita essent, addiscere licuit, nisi quos *Crispini ianitor doceret*, hoc est, qui, clam dominis, magistros auscultarent.

C 5

Possit.

---

44) Vid. GERH. IOH. VOSSII *Liber de IV. Artibus popularibus*.

Possit etiam ars Medica adiungi, quae, quod sciam, seruitiis apud Romanos minime interdicta fuit. Saepius in vetustis Marmoribus seruos inuenimus, qui MEDICI OCULARII vocantur. Legimus etiam apud SVETONIVM (45) in Epistola Augusti ad Agrippinam: *Mitto praeterea cum eo ex seruis meis medicum, quem scripsi Germanico, si vellet, ut retineret.* quanquam ab Atheniensium moribus vehementer illud abhorret, qui, auctore HYGINO (46), lege cauissent, NE QVIS SERVVS AVT FOEMINA ARTEM MEDICINAM DISCERET, etsi ingenuis postea foeminis permetteretur. Redeo ad graphiden, seu pictoriam linearem, quae ne seruis quidem apud Graecos, si PLINIVM fide dignum censemus, concessa fuisse videatur. Ingenuos enim pueros, inquit,

---

45) Calig. VIII. fufius de seruis, Medicis, differtur it Cel. PIGNORIVS in libro *de Seruis*.

46) Fab. CCLXXIV. vid. SAM. PETITI *Commentarius ad Leges Att.* p. 300.

inquit, diagraphicen, seu picturam in buxo doctos esse. Equidem aut diagraphicen (47) cum MSS, quibusdam, aut graphiden, quo vocabulo alias usus est, legendum putem. Graphicen (48) propterea

47) Nam *διαγραφικὴ* quoque ea ars dicitur, quae lineamenta docet, sicuti *διαγράφειν* est lineas ducere. STEPHANVS BYZANTINVS *de urb. et pop. in verbo Ἀλεξανδρεία*. Ἐκέλευσε δὲ διαγράφειν τὸ σχῆμα τὰς ἀρχιτέκτους. ἐκ ἔχοντες δὲ λευκὴν γῆν, ἀλφίτοις διέγραπον. LVD. DEMONTIOSIVS in exquisito *de Pictura* Commentario *picturam in buxo* glossema putat. at paullum dubito, si tam alte librarii sapiant, vt adeo aptam addiderint explicationem, quod si coniectura opus est, non insulse mihi videor opinari *diagraphicen in buxo* coniungi debere, quod autem insertum est, *hoc est picturam*, Scholii loco a quodam adiectum fuisse.

48) ATHENAGORAS *Leg. pro Christ.* (Ed. Oxon. p. 59.) luculenter τὴν γραφικὴν, ἀπὸ τῆς σκιαγραφίας discernit. Super verbo γραφικὸς habeo nonnulla dicere, non in vulgus nota. Proprie quidem γραφικὸν eum dicunt, qui



pterea non accipiam, quod illud potius  
pingendi genus significet, vbi et colores  
et

---

qui scribendi pingendique facultatem habet, AELIAN. *V. H.* XIV. 37. de pictore, atque de Calligrafo, deinde, qui artem non exercet, sed peritus, seu potius elegans, audit, vt apud Terentium *elegans formarum spectator*. LUCIAN. *Alex.* (T. II, p. 209.) *Id. Zeux.* (T. I. 841) optime vero id patet ex AELIANO *V. H.* II. 3. vbi Apelles Alexandrum torpentem eius pictura, vt HORATIVS loquitur, increpat. ἀλλ' ἄγε ἵππος ἔρικέ σε γραφικώτερος εἶναι κατὰ πολὺ. Mutuatus est verbum hocce a Graecis PLAVTVS, cui *seruus graphicus* *Epid.* a. III. sc. 3. v. 29. dicitur pulcerrimus, ac facetissimus, in cuius membrorum orisque habitu ea est venustas, vt pictus videatur, tanquam, sicuti alibi legimus, *ex pictura adstet*. quemadmodum in eadem fabula a. V. sc. 1. Stratippocles virginem appellat, *vsque ab vnguiculo ad capillum summum festiuissimam*. tum vero graphicum non aliter, quam eximium, explicem. Sic Pseudolus, in Comoedia eius nomine inscripta, bis dicitur *mortalis graphicus*. Legimus quoque in VITRUVIO IV. 4. qui saepissime Graecis verbis vsus est, quod videret (non enim ab ipsis verbis V. 4. recedimus) necesse esse  
iis

et umbrae doceantur. Verisimile est, Romanos largitos fuisse seruis, vt pictoriam linearem, tanquam popularem artem, discerent. Licet, id ita esse, non tamen de arte pingendi idem statuam, quae, quantum e tenuissimis vestigiis cognosci potest, liberalis (49), vel ingenua, habita fuit. Non parum sententiam nostram adiuuat locus SVETONII (50), vbi Nero dicitur omnes fere

---

iis vt, quia nonnulla eorum latinas non haberent appellationes: *Item circum coagmenta et cubilia eminentes expressiones graphicoteram efficiunt in aspectu delectationem.* Recte Philander interpretatur, *vehementius oblectabunt, magis expressam, maiorisue energiae efficient.*

49) Dignus videtur GALENI locus, qui a nobis laudetur, etsi nihil ad Romanos pertineat. omnes is quidem artes in Paraphrasi Exhortationis Menodoti ad Artes, bifariam dispescit, vt aliae sint λογικαὶ ac σεμναί, aliae ἐκκαταφρόνηται, et διὰ τῶν τῷ σώματος πόνων, ad illas refert ἰατρικὴν ῥητορικὴν, μουσικὴν, γεωμετρίαν, ἀριθμητικὴν, λογιστικὴν, ἀστρονομίαν, γραμματικὴν, νομικὴν, πλαστικὴν, καὶ γραφικὴν.

50) Ner. LII.

fere liberales disciplinas puer attigisse. quarum quidem duas, quas praecipue coluisset, poeticam, et pingendi fingendique studium, cum in verbis, tum in sententiis, elegans scriptor exemplo affert.

At, quid PIGNORIO<sup>(51)</sup> respondebimus, qui, servos pictoriam calluisse, existimavit, atque, quo minus id obscurum esset, IVVENALIS<sup>(52)</sup> auctoritatem interposuit?

*Sit mihi praeterea curvus caelator, et  
alter*

*Qui multas facies pingat cito.*

Sane incertum, et dubium ista animum redderent, nisi SALMASIVS<sup>(53)</sup> felicissime hunc locum refinxisset, et, mea quidem sententia, restituisset. Iubet enim legi, *fingat*, eo maxime adductus, quod et Scholiastes ita interpretatus esset, et Platarum esse intellexeret, facies fingere. atqui pro-

---

51) *De Servis*, p. 356.

52) *Sat.* IX. 145.

53) *Exercit. Plin.* p. 771.

propriae eae sunt fictorum. Sic VARRO (54),  
*ut fictor, cum dicit facio, faciem imponit,*  
*a qua facie discernitur, ut dici possit, aliud*  
*esse vestimentum, aliud vas.* Non magno-  
 pere Cel. GORIVS (55), cum Inscriptionem  
 quandam laudat, PIGNORII sententiam  
 tuetur:

HERACLA  
 AVGVSTAE. L.

PICTOR

An enim eodem, quo serui, gradu liberti  
 libertaeue constituendae sunt? Exstat et  
 aliud monumentum in familiis libertorum  
 LIGORII 56).

D. ARIO. PICTOR. IDEM

AEDITVVS

Quidni eos, si quid, liberi iam facti, aut  
 in hac (57) arte confecerant, aut, cum  
 pictu-

54) De L. L. l. V.

55) De Libertorum Columbario CXXVI.

56) Ap. MVRATORIUM *Thef. Inscript.* T. II.  
 p. CMLXIX.

57) Cum enim manumissi essent, nemo eos ar-  
 ti-

picturarum cura iis delata esset, pictores dixerint? Scimus enim alias pictorum officium fuisse, vt, ne macula, aut labes, picturas deformaret, viderent. quod facillime fieri potuit, quando tabulae pictae in atriis essent positae, quae a fumo vacua fuisse, non credibile est. Atrienfibus tamen, et interdum etiam aedituis, demandatum fuit, vti picturas curarent; unde a Pinacotheca, vel imaginibus, vocati sunt. Iam, cum hoc fit, nonne Arioni, qui aedes tueretur, pictoris nomen optime competiit? Quoniam in eo nos versamur, vt pictores in libertatem asseramus, ne suspicionem quidem vllam seruitutis patiemur. An itaque cum fullonibus, vestitoribus, et pincernis coniungamus, qui in

AEL. LAMPRIDI (58) Seuero castrenses mi-

---

tificium discere vetuit *D. l. 18. 38, §. 1. de op. lib.*

58) *Hist. Aug. P. I. p. 981. ita vt annonas, non dignitatem, acciperent fullones, et vestitores, et pictores, et pincernae, omnes castrenses ministri.*

ministri dicuntur? Vehementer hic LOISELII emendatio, cui CASAVBONVS et SALMASIVS assensu sunt, placet, cum pro *pictores* legi vult *pistores*. quo quid aptius, quid facilius, excogitari potest? Nouimus enim, quam pistorum opera in principis expeditionibus requirebatur. porro pictorne, an pistor, melius coniungitur cum pincerna? Eadem sane laus isti emendationi debetur, quae a Cel. CHRISTII ingenio profecta est. Nempe cum vix Caii aetate seruum fuisse, qui pictoriam tractaret, Vir summus (59) arbitraretur, leuissimo vitio in l. 28. D. de rei vindic. *Forte quod pictorem aut librarium docueris*, fictorem in pictorem commutari potuisse iudicauit. in quo facillime is, qui descripsit, labi potuit, si quidem obtuso et horrido eius ingenio fictor non alius dici videretur, nisi qui poenitentia codicem se exarasse fingeret.

---

59) Vid. *Acroamata Otii Regalis* p. 78.

ret. Est igitur coniecturae Eruditissimi Viri quam maxime locus relinquendus, siue eum, qui Plastes sit, siue, qui liba fingat, intellegamus. quanquam de illo libentius ceperim, quia plus artificii, quam huic,tribuendum putem, quod lege sequenti et in fictore, et in librario, inesse dicitur. quare librarium, non qui pondera libret, sed cuius officium sit scribendi, et rationem subducendi explicem. *D. l. 49. de bon. lib. l. 15. §. 1. de Vsufr.* quemadmodum BRISONIVM <sup>(60)</sup> etiam hac in lege video intellexisse. Ceterum, poterant omnino interferuos esse, quos natura politiores, ut SVE-TONIVS scribit, finxisset, qui summo pictoriae studio flagrarent: poterant singulâri industria eo peruenire, quo ingenui praeceptorum subtilitate vix penetrarent, sicuti in familia T. Pomponii Attici constat, fuisse pueros literatissimos. Nec is ego  
sim,

---

60) *De Verb. sign.* X

• fim, qui vsque adeo pro pictorum libertate pugnem, vt prorsus negem, tempus in Republica Romanorum, vt hoc nomine vtar, fuisse, quo serui pictoriam exercuerint. Cur enim Constantinus *l. 2. de exc. art. C. Theod. l. 1. h. t. C. Iust.* Cum fullonibus, vitriariis, lignariis, aliisque ingenio, quod mireris, pinguioribus, eos coniunxerit, nisi eiusdem essent conditionis? Restat, vt videamus, an pictores, quorum artem liberalem esse affirmauimus, operas suas locare dicantur, necne. Id enim in liberales artes minime cadit, quoniam, qui eas tradunt, beneficium potius, quam operas, praestant, non mercedem, sed salarium, accipiunt, *D. l. 6. §. 8. de extr. cogn.* etsi verba veterum Iure consultorum non ad viuum refecanda sint, quibus, prout visum est, saepe vsi sunt. Mercedem proinde pro salario *VLPIANVS* posuit *D. pr. de extr. cogn.* atque vtrumque *l. 6 de Med. et Prof. C. Iust.* iungitur: igitur Rhetoribus,



Grammaticis, Medicis, Geometris etiam (*D. pr. si M. F. M. D.*) non actio locati, sed in factum, siue praescriptis verbis, *facio ut des* competiit. quid ergo? num idem de pictoribus dicendum? Meo quidem iudicio, eadem hic, quae in fabris, ratio valet, cum Iurisperiti omnem, qui manibus fiat, laborem, excepta metiendi arte, operas appellare soleant. *locat* enim, PAVLLO auctore, *D. l. 22. §. 2. Loc. Cond. artifex operam suam.* tametsi commode hic, ut arbitror, VLPiani sententiae locus esse videatur, *Inter artifices longa differentia est, et ingenii, et naturae, et doctrinae, et institutionis. D. l. 31. de sol. et lib.* Sed iam CICERO (61) scripsit, Zeuxin pictorem celebratissimum a Crotoniatis magno pretio conductum fuisse, ut Helenam pingeret. quid deinde clarius PAVLLI, quem


---

61) *L. II. de Inuent. I.* Dicitur apud AELIANVM *V. H. IV. 12.* Zeuxis hac ex pictura πολλὰ χρηματισθῆναι.

quem statim commemorauimus, verbis?  
*Si tale sit factum, quod locari solet, puta, ut tabulam pingas, pecunia data, locatio erit. D. l. 5. §. 2. de praescr. verb.* Possit fortasse, et, ut sentio, merito, PAVLLI auctoritas nonnullis levis et quodammodo exilis videri, cum ita is picturis inimicus fuerit, ut aduersus communem sententiam tabulis eas cedere statueret. de quo inferius opportuna dicendi occasio erit. Nihil autem est, quod IULIANO respondeamus, qui saepius fabriles operas cum pictoriis coniungit, easque ad artificiales refert *D. t. 1. de op. lib.* quas liberti, si stipulati antea fuissent, aut iureiurando etiam affirmassent, patronis praestare debebant. *Cai. Inst. II. t. 9. §. 4. D. l. 23. de op. lib.* Nec dubium est, redemptores, qui certo pretio aedificia exstruenda curarent, in parietibus pincillo pinxisse: qualis PHILOMVSVS PICTOR SCAENARIVS IDEM REDemptor in antiquo Marmore <sup>(62)</sup> Florentiae legitur. CAPVT

---

62) MVRATORIVS *Thef. Inscr. T. II. pag.*  
 CMXLVIII.



## CAPUT V

*Priuilegium a Valentiniano  
Valente et Gratiano Africae  
pictoribus concessum.*

*Ex Cod. Theod. l. 13. de Exc. Art.*

*Picturae Professores, si modo ingenui sunt, placuit, neque sui capitis censione, neque uxorum, aut etiam liberorum, nomine, tributis esse munificos, et ne seruos quidem barbaros in censuali adscriptione profiteri: Ad negotiatorum quoque collationem non deuocari, si modo ea in mercibus habeant, quae sunt propria artis ipsorum: Pergulas et officinas in locis publicis sine pensione obtineant, si tamen in his usum propriae artis exercent: Neue quenquam hospitem recipiant, lege praescripsimus: Neue pedaneorum iudicum sint obnoxii potestati: Arbitri-*

*bitriumque habeant consistendi in ciuitate, quam elegerint: Neue ad prosecutiones equorum, vel ad praebendas operas deuocentur: Neue a iudicibus ad efficiendos sacros vultus, aut publicorum operum expolitionem sine mercede cogantur. Quae omnia sic concessimus, ut si quis circa eos statuta neglexerit, ea teneatur poena, qua sacrilegi coercentur.*

**O**perae pretium me facturum puto, si, quemadmodum olim Aristodemus Carius principum, ita ego imperatorum quorundam Romanorum, studia in pictoriam summatim antea explicauerim, quo grauior ampliorque laudandi VALENTINIANI, cui praeclarissimum hoc priuilegium pictores debent, ratio adsit. Omni enim tempore summi principes exstiterunt, qui praeterquam sapientissime et vigilantissime studerent.

*Res gerere, et victos ostendere ciuibus  
hostes*

non infra se positam liberalium artium, atque pictoriae adeo scientiam esse iudicarent. Primo itaque loco C. CLAVDIUS NERO ponendus est, qui praeter poeseos, philosophiae, eloquentiae, musicaeque studia, in quibus, semper, cum certaretur, victor dici voluit, artem quoque pingendi calluit, quam quidem, TACITO <sup>(63)</sup> teste, ab ineunte aetate in deliciis habuisset. Longe superauit D. HADRIANVS, cuius amicitia pictores <sup>(64)</sup> non solum vti sunt, sed, qui ipse etiam, vt SPARTIANVS <sup>(65)</sup> tradit, *picturae peritissimus* fuit. hinc  
Apol-

---

63) *Ann. XIII. 3.*

64) *Hist. Aug. P. I. p. 159. In summa familiaritate Epictetum, et Heliodorum philosophos, et ne nominatim de omnibus dicam, grammaticos, rhetores, musicos, geometras, pictores, astrologos habuit.*

65) *Hist. Aug. P. I. p. 144. Idem affirmat s. AVR. VICTOR, Epit. XIV.*

Apollodorum Architectum, cum Imperatori architecturae inscitiam exprobraret, cucurbitarum iterum pingendarum admonuisse ferunt (66). ὅτι ἄπελθε, καὶ τὰς κολοκύνθας γράφει· τέτων γὰρ ἔδεν ἐπίσασαι· ἐτύγχανε δὲ ἄρα τότε ἐκᾶνος ταῦτά τινὶ γράμματι σεμνυνόμενος. Quid de M. ANTONINO *Philosopho* (67) dicam, qui, cum ea esset animi excellentia, eoque sapientiae studio, ut omnibus fere, qui unquam in populo dominati sint, anteire videatur, nihilo minus arti pingendi operam dedit? fortassis Diognetus, qui pingendi ei praecepta de-

D 5

dit,

66) Γράμμα picturam dici, optime ex PHILOSTRATI *Iun. prooemio in Icones* potest intelligi: γραφὴ τε ὁμοίως, ἃ λέγειν οἱ ποιηταὶ ἔχουσι, ταῦτ' ἐν τῷ γράμματι σημαίνεσθαι. ubi γραφὴ, quae πρὸς τὴν ποιητικὴν confertur, artem, pingendi, γράμμα picturam significat; et deinceps γράμμασι γὰρ προσυχὼν χειρὸς αἰσίας. AELIAN. II. 44. Θεῶνος τὴ ζωγράφῃ γράμμα.

67) IVL. CAPITOLINVS *Hist. Aug. P. T. p. 306.*

dit, idem fuerit, a quo, in libro de vita sua, se philosophiam accepisse scribit. Pudet non nihil ANTONINI HELIOGABALI, <sup>(68)</sup> impurissimi istius tyranni, nomen, tam sancto, tamque bene morato principi adiungere. enimvero laudabile est, pinxisse, abominandum, ut cuppedinarium, seplarium, popinarium, tabernarium, lenonem se ipsum pinxisse. Atque huius quidem consobrinus, ALEXANDER SEVERUS, qui et virtute et doctrina plurimum valuit, cuius munificentia literati maxime aucti et adiuti fuerunt, rationem et modum in pingendo principibus optime praescripsit. nam etsi mirum in modum is pingeret, tamen ne ullam hac ex arte gloriam, quod in Geometria etiam et Musica fecit, petere videretur, pueros suos duntaxat, ut est apud LAMPRIDIUM <sup>(69)</sup>, adhibuit. Quare,  
cum

---

<sup>68)</sup> AEL. LAMPRIDIUS *H. A. P.* I. 867.

<sup>69)</sup> *H. A. P.* I. 927.

cum haec maiorum exempla Valentiniano essent proposita, quis eum reprehendat, quod et venustissime (70) pinxerit, et ob praeclarum hoc studium tot singularia iura pictoribus impertiuerit? Sane paucis ante saeculis amor is rediit, nec recentioris minus, quam veteris aevi pictoribus licuit esse tam felices, ut principibus placerent viris. Satis constat, quam propensa voluntate, qua clementia, quibus beneficiis, IULIVS II. Pontifex Max. *Michaelum Angelum*, RODVLPHVS II. Imperator Rom. plurimos Italiae et Germaniae pictores, HENRICVS VIII. *Holbeenum*, et CAROLVS II. Reges M. Britanniae, *Vandykium* ornauerint. Erubesco, et ingenii inopia impe-

---

70) AVR. VICTOR Epit. XLV. vid. quae SCHOTTVS ait. AMMIAN. MARCELLINVS XXX. 9. verum Valentiniano vitio possit verti, quod neminem artificum, aut literatorum, se superiorem esse voluerit. in quo nimio φιλοτιμία studio a Nerone non multum abfuit.



impedior, quo minus verba satis digna et ampla inueniam, quae AVGVSTISSIMI REGIS nostri, PATRIAE PATRIS INDVLGENTISSIMI, eximiae artis pingendi scientiae, summae in pictores munificentiae, Pina-cothecae splendidissimae laudes exprimant. Faxit IMMORTALIS, vt Pictoria non solum, sed reliquae etiam liberales artes, PRINCIPIS OPTIMI auspiciis, quam diutissime, porro, floreat.

En priuilegium ipsum, a VALENTINIANO inprimis Africae pictoribus concessum aggrediamur, quem et pinxisse, et Africam tenuisse, cum Valentem fratrem imperii iam consortem fecisset, memoriae proditum est. Scribit AMMIANVS MARCELLINVS (71): *Valentinianus Mediolanum, Valens Constantinopolim, discessit. et Orientem quidem regebat potestate praefecti Salustius, Italiam vero cum Africa et Illyrico*

*rico Mamertinus.* Quae itaque lex vt omnibus Afris pictoribus innotesceret, Chilo Vicarius <sup>(72)</sup> huius dioeceseos, quam  
vocat,

---

72) Vicarii prouinciarum quando coeperint, non satis scimus. Constantini temporibus fuisse, patet ex *l. 1. de ann. et trib. C. Theod.* In exercitu quidem longe antea imperatores habere vicarios: cuius rei argumento est epistola militaris Aureliani ad Vicarium ap. *VOPISCVM H. A. P. II. 434.* Vicem isti autem seu personam gerebant praefectorum praetorio, quorum loco principum iussa exequerentur, vnde pro Praefectis nonnunquam dici solent. P. P. Occidentis quatuor Vicarii fuerunt, qui Romae, qui Italiae, qui Africae, qui Illyrico Occidentali imperaret, vt P. P. Orientis Asiam, Pontum, et Thraciam per Vicarios administraret. Mirum videri possit, cur Africam et Asiam cum proconsules, tum vicarii, gubernauerint, cum in alias dioeceses nulli consulari potestate mitterentur. Sed arbitror deleniendi populi causa, ad quem hae antea prouinciae pertinuerant, Imperatores, more antiquo, viris consularibus, qui e Senatorum numero essent, potestatem dedisse. igitur proconsulares nomine, praesidales re fuerunt hae prouinciae. Nihilo tamen inferiores Proconsulibus fuerunt  
Vicarii

vocant, curavit. Fuit ista sane amplissima, cum, quemadmodum Notitia Imperii nos docet, Byzacium, Numidiam, Tripolim, Mauritaniam utramque, Sitifensem et Caesariensem, contineret. S. Rufus tractum Carthaginiensem addit. at Aegyptus ab omni et Proconsulis, et Vicarii, et Consularis, seu Ordinarii iudicis, potestate libera fuit, cui, ab eo inde tempo-

---

Vicarii, nisi, quod dignitate aliquantum cederent *l. 2. de Primic. et Not. C. Th.* ceterum vterque spectabilis dicti, potestati P.P. vterque subiecti *l. 1. de susceptor. C. Th.* ad quem, si Principi non placeret, *l. 1. de off. vicarii C. Iust.* causas deferrebant *l. 16. de poen. C. Th.* Vicariis Pictores quoque ordinarii, seu singularum ciuitatum, qui consulares, praesides, legatiae, vocabantur, parebant. *l. 6. de Off. Vic. C. Th.* habuerunt certe propria quaedam munera, et causas, quae curae eorum commissae essent; vt tributorum collationem et translationem, h. t. curam Metallorum *l. 9. de Metallis et Metallariis C. Th.* et rel. vid. GUIDO PANCIOLOLV S *ad Notitiam Imperii.*

pore, quo in prouinciae formam redacta fuisset, praefectus Augustalis ex ordine equestri praeesset, ne fasces inferrentur. quamuis certissima eorum est sententia, qui cum HERODOTO et STRABONE Aegyptum, qua trans Nilum sita esset, ad Africam referunt. Ita Alexandrinae regionis ea pars, quae trans ostium Nili iaceret, ad Africam, quae cis Nilum, ad Asiam pertinuit. HIRTIVS: *Sic enim praedicant, partem esse Alexandriae dimidiam Africae:* haec enim verba cohaerent, neque ad *Vada angusto transitu* sunt trahenda, quid? hic, quem antea dixi, Aegypti tractus PLVTARCHO vocatur Διβίη, id est, μέρος τῆς Διβύης. Haec in diuerticulo. Non enim licet amplius exspatiari, cum in campo nostro ad satietatem nos exercere possimus.

Atque principio quidem lectores admonitos velim, vt ne omnibus, qui pictorum nomine vsi sint, haec iura tributa fuisse existiment. nihil enim ad pictores scenarios

narios, et eos, qui in militia essent, pertinent, sed ad illos solum, qui in officina publice iuvenes pictoria imbuerent. hos enim Imperator, *picturae professores, si ingenui essent*, (libertini quidem exclusi sunt) appellat. Amplissimum sane nomen, quod Rhetoribus, Grammaticis, Atticae Romanaeque doctrinae *l. II. de Med. et Prof. C. Th.* Medicis, Iuris doctoribus, Philosophisque solis tribueretur, qui alias etiam antistites liberalium artium dicti sunt *l. I. de decr. dec. C. Iust.* Nullus artifex, praeter pictorem, ita vocatus est, ne calculator quidem *l. 4. de prof. et med. C. Iust.* a quo pueri longis rationibus assensum Discunt in centum partes diducere.



~~~~~

## §. I.

*Immunes cum liberis et seruis, etiam  
barbaris, a censu et tributis  
sunt.*

**A**ntiquis Romæ temporibus, usque ad Augustum, neminem, neque civem, neque deinde, priusquam Iulia lata esset, municipem fuisse, cuius nomen non in censum deferretur, satis constat. Etenim Servius Tullius, simulatque censum (73) institueret, legem *de incensis* tulit gravissimam, quo validior is et firmior esset. quam quidem (74) DIONYSIUS HALICARNASSEVS, qui, quod Graecorum maxime causa Historiam Romanorum perscriberet,

accu,

73) Liu. I. 44.

74) Ant. Rom. IV. 16.

accuratius in Institutis legibusque populi Romani, quam LIVIUS, versatus est, commemorat: ΤΩΙ ΔΕ ΜΗ ΤΙΜΗΣΑΜΕΝΩΙ ΤΗΣ ΤΕ ΟΥΣΙΑΣ ΣΤΕΡΕΣΘΑΙ ΚΑΙ ΑΥΤΟΝ ΜΑΣΤΙΓΩΘΕΝΤΑ ΠΡΑΘΗΝΑΙ (ώρισε). καὶ μέγχι (adiicit) πολλῶ, δίδμεινι παρὰ Ῥωμαίων ἔτος ὁ νόμος. Secundum Seruianam hanc legem patres familias cum nomen, cum bona, cum vxoris, liberorum, seruorumque, nomina et ætatem (75) apud censores singulis lustris profiteri debebant. nullus dubito, seruos initio etiam denuntiasse, quod sub bonis ἰστίαις comprehendantur. postea enim, V. C. CCLXXVII. DIONYSIVS (76) diserte tradit, seruos, omnemque adeo familiam censam fuisse. Familiae vocabulo vtor, etsi sciam, FESTVM de liberis hominibus antiquitus dictam putare. Possunt enim leges duae XII. Tabularum satis antiquae opponi, altera, PATERFAMILIAS VTEI  
SVPER

---

75) De ætate indicanda D, l. 3, 4. §. 5. de cens.

76) Ant. Rom. IX. 583.

SVPER FAMILIA PEQVNIAQVE SVA LEGA-  
SIT ITA IVS ESTOD. altera, PROXIMVS  
AGNATVS FAMILIAM HABETO. Domini  
autem e seruis, non ipsi serui, qui ne sui  
quidem proprii essent, (77) cenferi poterant.  
tum sane in libertatem transibant, cum,  
consentiente domino, nomen in censo-  
riis tabulis scriberetur. Est apud CICERO-  
NEM (78) in Topicis, vbi tres veterum  
manumittendi modos, censum, vindi-  
ctam, testamentum, legimus. Igitur fa-  
cta censuali professione (79) in classes pro-  
opibus quisque relati. de quo multa paene  
multa scripserunt. Sed Augusti indulgen-  
tia factum est, vt census Romae tolleretur.

E 2

puto

77) CIC. pro Caecina 34. *indicat (populus) cum is,  
qui in seruitute iusta fuerit, censu liberetur,  
eum, qui, cum liber esset, cenferi noluerit,  
ipsum sibi libertatem abiudicasse.*

78) Cap. II.

79) De professione liberorum, si quando recens  
nati essent, vid. GVL. BYDAEVS *Annot. ad Pan-*  
*dectas p. 706.*



puto Italicos etiam, qui lege, a L. Iulio Caesare, *de ciuitate communicanda*, lata, populi fundi facti fuissent, (praeter Heraclienfium autem et Neapolitanorum quasdam ciuitates, nullum Italiae populum, CICERO (80) memorat, qui iura sua ciuitati antetulisset, census onere liberatos fuisse. quod ius Italicum de censu diuersum est ab eo, quod Antoninus Caracalla constituit, cum illo focii tantum nominis Latini, et reliqui Italici donarentur, hoc iis etiam, qui extra Italiam essent, sociis, multisque prouincialibus tribueretur. Eandem (81) Italiae

---

80) *Pro Balbo cap. VIII.*

81) Erant haud dubie plura iuris Italici capita; quemadmodum Cel. EZ. SPANHEMIVS *in Orbe Rom. (Thes. Ant. Rom. T. XI. p. 145)* rectissime animaduertit, non sola Censuum vacatione Constantinopolim affectam fuisse, nam, exempli causa, qui tres liberos Romae, quatuor in Italia, quinque in prouinciis, haberet, a tutela poterat excusari. *pr. XXV. de exc. tut. vel. cur. l. idem de restitutione in integrum dicendum.*

Italiae immunitatem postea Constantinus plebi Vrbanæ Lyciæ et Pamphyliae, sicuti in Oriente obtineret, *l. 1. de cap. ciu. C. Iust.* Honorius et Arcadius, itemque Valentinianus, Valens et Gratianus, Constantino-  
 poli *t. 20. de priu. V. C. C. Iust. l. 1. de iure It. V. C. C. Th.* largitus est. quid omnes istas colonias et prouincias referam, quarum a censu vacationem Iustinianus quasi renouari iussit *D. t. 15. de cens.* Longe deterior erat conditio prouincialium, qui videlicet non iuris Italici facti essent, cum capitationem, hoc est, tributum tam pro capitibus, quam iugis, seu agris, hocque censitorum arbitrato, qui fundos vel possessiones aestimarent, soluere cogebantur. *l. 11. C. Th.* Atque talis prouincia fuit Africa, si tres eius ciuitates Carthagenens, deductam a C. Iul. Caesare coloniam, Vticam, et Leptim excipias *l. 7. §. 11. de cens. D.* Sed ut in prouinciis quibusdam, quae non iuris Italici essent, singuli ab onere

census exempti fuerunt, vt in dioecesi P.P. Galliarum virgines, viduae aetate prouectae, mulieres, donec nubarent, pupilli minores viginti annis *l. 4. de cens. C. Tb.* viduae iterum, et pupilli *l. 6. h. t.*, ita eodem iure Valentinianus pictoribus hoc priuilegium dedit, in quo id mihi maxime singulare visum est, quod vxores, et liberi, seruique, etiam barbari, in terris Orbi Romanorum non subiectis oriundi, a censuali adscriptione <sup>(82)</sup>, quae *l. 173. de decur.* descriptio dicitur, liberentur. Nunc, quid de tributis statuendum sit, videamus. Optime, FESTO auctore, tributum id dixerim, quod de priuato in publicum tribuitur. fuit enim initio pecunia, quae in stipendium militibus quinto quoque anno penderetur. Diu tributa, praeter censum, ciuibz Romanis imperata, et per tribunos tri.

---

82) Alia erat subscriptio censoria, quae item animaduersio seu notatio dicitur. CIC. *pro Cluentio cap. XLIV.*

tributum, unde nomen duxisse puto, exacta, donec, Perseo subacto, ingens pecuniae vis Romam asportaretur. *Tantum enim, ut CICERO (83) scribit, pecuniae Paullus in aerarium inuexit, ut unius imperatoris praeda finem attulerit tributorum.* Eodem beneficio Italia affecta fuit, cum Q. Metellus legem pertulisset, ut a vectigalibus immunis esset. Hanc legem Caeciliam haud dubie CICERO (84) respicit, ita scribens: *praeterea si ulla res est, quae bonorum animos, quos iam video esse commotos, vehementius possit incendere, haec certe est, et eo magis, quod portoriis Italiae sublatis, agro Campano diuiso, quod vectigal superest domesticum, praeter vice-simam? erant enim portoria longe maxima vectigalia (85), atque decumis, scripturis,*

E 4

et

---

83) II. De Off. 22.

84) Ad Attic. II. 16.

85) Vid. Cel. BVRMANNI *liber de Vectigalibus pop. Rom.*

et iis redditibus, qui e metallis et salinis prouenirent, vberiora. potest viceffima vel de pecunia, quae in manumiffionibus foluebatur, vel de parte fructuum, quam ab Hispania quoque datam fuiffe e LIVIO (86) fcimus, vt quae minus ferax effet, intellegi. Sunt autem proprie, vt arbitrator, tributa duplicia, aut, quae ex agtorum fructibus aerario et fifco deinde quotannis illata funt, decumae videlicet et vicesimae: quanquam verbo vectigalium, quae latius patent, hae faepiffime comprehendi folent: aut quae a prouinciarum magistratibus extra ordinem indiéta funt, in capita fcilicet. CAESAR (87) iniquitatis huius Q. Metellum Scipionem arguit: *in capita fingula feruorum ac libertorum tributum imponebatur*. Sed promifcuae fubinde hoc verbo vfos fuiffe, non infitior. Cum itaque

ex

---

86) XLIII. 2.

87) De B. Ciu. III. 32.

ex Italia tributa essent exterminata, (sequenti enim tempore Imperatores nonnulla reuocasse non nego, vt de vino iubetur *l. 6. de ann. et trib. C. Th.*) tanto grauius prouinciis incubuere, quarum aliae vectigales, aliae stipendiariae, vtroque aliae onere grauatae essent, scienter proinde et concinne, apud PETRONIVM, quod colloquium non sine voluptate legi, Afcyktos, Trimalchionis conliberto ex se quaerenti, cur in seruitutem se ipse regis filius dedisset, vt materiam nempe cauillandi haberet, respondet, ciuem Romanum, quam tributarium, esse maluisse. Omnibus certe prouincialibus vectigalium conferendorum necessitas fuit imposita, *l. 1. 26. de ann. et trib. C. Th. l. 5. b. t. C. Iust.*, et quidem quotannis *l. 33. b. t. C. Th.* cum ipsis rebus, hoc est fundis, sicut seruitutes, in iure priuato, inhaereret, saepius in utroque Codice *canon, praestatio annualis, statuta necessitas, capitatio* etiam dicitur.

E 5

Quando-

Quandoquidem scripsimus, fuisse quibusdam prouinciis, et vectigalia, quae non certa erant, et stipendia <sup>(88)</sup>, quae etiam in sterilitate et calamitate solui debebant, imperata, Africae potissimum mentionem faciendam duco. Posteaquam enim, Carthagine deleta, maxima Africae <sup>(89)</sup> pars Romanorum ditionis facta esset, non vectigalia solum *l. 10. de ann. et trib. C. Th.* vt olei decumas, sed stipendia etiam certa e frumento pendere coacti sunt, quod toties rebellassent, et vi demum domati fuissent. Propterea CICERO <sup>(90)</sup> ait: *Quod si Afriis, si Sardis, si Hispanis, agris, stipendioque multatis virtute adipisci licet ciuitatem, Gaditanis non licebit?* Minus recte CAR. SIGONIVS <sup>(91)</sup> stipendium, de tributo in capita

---

88) Quo modo stipendium a vectigali differat,

Cel. ERNESTI in *Clauis* ad CIC. docet.

89) Sub Caesare Mauritaniae accesserunt,

90) *Pro Balbo cap. xvm.*

91) *De ant. iure prou. l. ii.*

pita, agros, de vectigali in agros imposito, interpretatur. Stipendia enim a deuictis gentibus, nulla hominum agrorumque ratione habita, exigebantur. et qui agri pro vectigalibus ponantur? scimus potius permultos Poenorum agros colonis diuisos fuisse. Tanto igitur maius hoc est pictorum beneficium, quod tributis, siue vectigalia, siue stipendiis, intellegamus, vacarent, quanto certius est, neminem praeterea eo auctum fuisse, excepto Cyro Afrodisiensium Episcopo *l. 38. de ann. et trib.* Eusebio ex Consule et ex Magistro equitum peditumque, Arsace Armeniorum rege *l. 1. h. t.* et denique Senatoribus *l. 8. de metall. C. Th.*







## § II.

*Ad negotiatorum collationem ne deuocantor,  
si modo, quae propria artis eorum sunt,  
in mercibus habent.*

**P**rofuit haec de tollenda lustrali collatione lex iis duntaxat pictoribus, qui, praeterquam pueros instituerent, tabulas ad vendendum in officinis exponerent. Quale vectigal hocce, quod Imperatores tam studiose a negotiatoribus exegerint, sit, ostendamus antea, necesse est. Scilicet et monopolio, et lustrali auro, et filiquatico onere, omne, cui mercatores obnoxii fuerunt, tributum continetur. Collationem, necessitatem pensitationis, συντέλειαν, quae ἀτελεία opponitur, ἔργον dixerunt. Malim equidem, CICERONE auctore, collectae nomine uti. Num igitur de tribus his mercantium oneribus lex inter-

interpretanda est? Minime. Nam etsi adhuc Monopolii ius vigeret, quod a Zenone demum est abrogatum, *t. 59. C. Iust.* tamen, cum omnibus pictoribus haec immunitas data sit, videmus, non vni solum picturas vendere licuisse. Ad onus filiquaticum <sup>(92)</sup>, cui a filiqua, numo argenteo, quatuor granis valente, nomen, quod attinet, id ab hoc loco propterea alienum puto, quoniam non nisi in nundinis collatum sit, quas pictoriae professores celebrare potuisse vix mihi persuaferim. Aptissimum est, si solam lustralem collectam, cuius in Theodosiano codice tam erebro mentio iniicitur, quia tunc maxime usitata erat, intellegamus. Aiunt permulti Constantinum primum iussisse *l. 1. de lustr. coll. C. Th.*, ut omnes negotiatores quinto quoque anno, pro sua quisque re pecuniam pen-

---

92) Erat filiqua vigesima aurei pars. vid. *CVIAC. ad t. 1. de lustr. coll. C.*

penderent. quorum quidem sententia hoc potissimum improbanda est, quod, vti doctissimi iam obseruarunt, iam antea tributum illud introductum fuisse videatur. Nam, vt portoria peregrinarum mercium a Caesare<sup>(93)</sup> instituta, et postea ab octauariis (octaua enim capiebatur) exacta *l. 8. de vect. et comm. C. Iust.* taceam, cum Vectigalia, non tributa, commode dici ea possint, nouimus, Alexandrum Seuerum<sup>(94)</sup> artificibus certam pecuniam imperasse, quae non mercium, sed artis, causa daretur. Atque facillime perspicui potest, eandem mercatoribus quoque soluendam fuisse, cum summam eam Imperatorum dicerent munificentiam; si<sup>(95)</sup> aurum negotiatorium

---

93) SVETON. *Caes.* XLIII. 43.

94) AEL. LAMPRIDIUS *H. A. P. I. p. 920.*

95) Scribit de Seuero, principe benignissimo, AEL. LAMPRIDIUS *H. A. P. I. p. 937. Aurum negotiatorium et coronarium Romae remisit.*  
De

rium quod vocant, remisissent. Plurimis enim legibus cautum atque prouisum fuit ab Imperatoribus, ut nemo vnus eorum, qui negotiarentur, aut foenus exercerent, veniam auri lustralis conferendi haberet. l. 1. 2. 6. 18. de lustr. coll. C. Tb. sic coloni et rustici, qui, cum alias fructus in agris suis

---

De auro coronario nonnulla addere placet, nempe antiquis Reip. temporibus moris fuit, ut duces belli vel ab exercitu, dono, vel a victis gentibus, ut de demissis et fractis animis hostium constaret populo Romano, coronas aureas acciperent, quae in triumpho praeferrentur, de his quidem GELLIVS l. V. c. 6. *Triumphales coronae sunt aureae, quae imperatoribus ob honorem triumphi mittuntur. Id vulgo dicitur aurum coronarium*, pro coronis nonnunquam aurum miserunt, quod proprie coronarium dicitur. hinc factum est, ut Imperatores deinde a ciuibus eiusmodi dona postularent. non enim canonis, sed oblationis, instar erat aurum coronarium. quemadmodum Siculi frumento honorario praetorem donarunt, vid. LIPS. de magn. V. Romae l. II. GOTHOFREDVS t. 13. de Aure Cor. C. Tb.

fuis natos vendentes, mercatorum in numero non haberentur *l. 3.*, simulatque alienos etiam quaestui facerent (mercatura enim emtione et venditione continetur) vectigal hoc soluere coacti sunt *l. 8. de lustr. coll. C. Th. quid de mercenariis, vt fictoribus figulisue censendum?* His sane, cum manu victum sibi quaerant, parum lucri propositum est, nec ideo quidquam pendunt *l. 8. h. t.* At duo sunt hominum genera, quibuscum hanc auri negotiatorii vacationem communem pictores habent, clerici, et veterani. Indigne quis ferat, clericos, ab omni ~~disponendis~~ remotos, a me nominari, vt qui omni et negotiatione *can. 3. dist. 44. i.* et foeneratione *can. 4. dist. 47. i.* prohibiti fuerint, hac sanctione addita, vt, quando secus fecerint, de muneribus grauissimis decedendum iis sit, nisi quoad necessaria vitae subsidia inde sibi pararent, *can. 3. 4. dist. 91.* quid contra haec, quae valde perspicua sunt, dici posse videatur?

dentur? Sunt ista sane clarissima, sed tamen non tantae grauitatis, vt cum in Iure Pontificio, vel, vt cum nostris hominibus loquar, Canonico, omni dubio careant, ciuili iure refelli nequeant. Verum enim est, Imperatores saepissime a sententiis conciliorum, atque pontificum auctoritate recessisse, suoque etiam, vbi placeret, iudicio vfos fuisse. Quare Constantinus et Valentinianus postea Clericos, quos Copiatas appellarent, omnino immunes esse voluerunt, dum mercaturam exercerent. *l. 1. 5. de lustr. coll.* quibus vero legibus Valentiniana *l. 11.* derogauit, qua modus fuit praescriptus, vltra quem vacatio ista clericorum non confisteret. nempe si in Illyrico Occidentali, et Italia decem, in Galliis autem quindecim, solidis (<sup>96</sup>) merces valerent.

---

96) Hoc est, aureis. vt *l. 5. de f. mon.* accipi etiam debent. valuit aureus a Constantino vsque ad Valentinianum *īv.* scrupulis, cum septima esset vnciae pars.

valerent. Eodem beneficio veterani, qui diu fortes se viros praestitissent, neque exauctorati, missioque, sed cum honore e militia discessissent, ornati fuerunt *l. 2. de coll. lustr. C. T.* Sed ea quoque veteranorum immunitas fuit circumscripta, semel *lege 7. h. t.* qua iis solum, qui Protectoriam dignitatem, insigne militiae praemium, consecuti essent, eueniret, iterum *l. 14. h. t.* ubi conditio, si merces non plus quindecim solidos valerent, adiiceretur.



§. III.



## §. III.

*Pergulas et Officinas in locis publicis sine  
pensione possidento.*

**P**osteaquam vidimus, quatenus a solis negotiatoribus tributa exigere licuerit, sequitur illa pensio, quam cum artificibus isti communem habuerunt, tabernaria nimirum. igitur, cum superiore lege, vacatio lustralis collectae, iis duntaxat pictoribus, qui in taberna picturas, tanquam merces, venundarent, concessa fuerit, haec immunitas ad omnes, qui artis pingendi studiosis in publica officina operam darent, pertinet. Parum abest, quin hanc legem initio me torfisse dicam, cum frustra permulta Imperatorum instituta lectitarem, vnde pensionem pro tabernis solutam illustrari confirmarique putaueram. Sentio, GOTHOFREDVM etiam hac in lege,

F a

quam



quam alioquin satis intellegebat, paululum falsum fuisse, ius illud veteranorum singulare, quo, dum nundinationibus interessent, a filiquarum solutione eximerentur, huc referendo. At nulla difficultate res laborat, quemadmodum, si prius in *pergulae* nomen inquisiuero, paucis ostendam. sane in bonam et malam partem *pergula*, sicuti *taberna*, dici solet. nam ut PROPERTIUS (97) pro cella meretricia *tabernam* posuit, in qua, (98) BURMANNO interprete, foeminae τῷ σώματι ἐργαζόμεναι, veluti merces, explicarentur, ita apud (99) PLAUTUM in lenonis ore est:

*Te ipsam culleo ego cras faciam, ut  
deportere in pergulam*

In (100) IUVENALI non aliter, quam coquinam, explicem.

*Sed*

97) IV. 8. 19.

98) Petron T. 1. p. 36.

99) Pseud. a. T. sc. 2. v. 79.

100) Sat. XI. 136.

*Sed nec structor erit, cui credere de-  
beat omnis*

*Pergula.*

quae significatio etsi de *taberna* <sup>(101)</sup> non in promptu est, tamen, cum saepius *cau-  
pona* dicatur, videtur, sub hac, *coquina*  
comprehendi, HORATIVS <sup>(102)</sup>.

*Nec vicina subest, vinum praeberet  
taberna*

*Quae possit tibi.*

Pictorum officinae, in quibus suum quis-  
que opus considerari vult, ut, si quid a  
pluribus reprehensum sit, id corrigatur,  
utroque nomine compellantur, <sup>(103)</sup> PLI-  
NIVS: *Perfecta opera* (Apelles) *propone-  
bat in pergula transeuntibus* <sup>(104)</sup>. PHAE-

F 3

DRVS;

101) vid. SALMASIVS ad AEL. SPARTIANI Ha-  
drianum.

102) I. Ep. XIV. 24.

103) H. N. XXXV. 16.

104) L. IV. fab. 5. Inconsulto RIGALTIVS in hoc  
versu et omisit, etsi prorsus superuacuum hoc sit.

DRVS; (siquidem tanta eius est auctoritas)

*Historia quorum et in tabernis pingitur.*

Vsitatus, ni fallor, sequiori latinitate, *pergula* de publicis literarum ludis, vel ergasteriis, dicta fuit. Ita (105) VOPISCVS tradit, Saturninum *pergulas* *magistrales*, quae l. 3. de stud. lib. V. C. cod. *publicae magistrationes cellulaeque vocantur*, frequentasse. Nouimus ex vrbis  
Romae

neque enim metrum observauit, neque saepius abundare intellexit, notissimus est DVIDII versus: *nam vos musastis et illas*. ineptum, opinor, est cum *etiam* interpretantur. quid enim praeterea inutarunt, ait, magnus SCALIGER. Graecis idem vsus est particulae καί. XENOPH. Memorab. I. I. 5. εἰ προαγορεύων ὡς ὑπὸ Θεῷ φαινόμενα, καὶ ψευδόμενος ἐφαίνετο. ib. 6. τὰ μὲν γὰρ ἀναγκᾶ στυβεῖνε καὶ πρᾶτ' ἐιν. LYSIAS Or. II. p. 38. Ed. FAYLORII, 4. ἀπαλλάττοντες δὲ τῷ δέῃ καὶ τὰς ψυχὰς ἡλευθέρωσαν.

105) H. A. P. II. p. 734.

Romae descriptione, plurimas in foro fuisse, et opificum, et mercatorum, et trapezitarum, imo literatorum tabernas, quarum quidem permultae ad publicum pertinerint, ita, ut pecunia, quam conductores numerarent, aerarii esset. <sup>(106)</sup> LIVIVS auctor est, et M. Catonem, et Ti. Sempronium tabernas, in publicum emisse. quid? necesse est, omnes illas tabernas, quibus censores, ut idem <sup>(107)</sup> narrat, forum elaudendum aliquando curarent, publicas fuisse, cum muneri tantummodo iis datum esset, uti publicorum aedificiorum curam haberent. Idcirco Imperatores, qui vehementer sibi prospicerent, in provinciis etiam constituerunt, ut praeter priuatorum tabernas, in locis iis, quae populi frequentia maxime celebrarentur, principis quaedam essent, *quae ad ius ciuitatis pertinerent l. 9. de op. publ. C. Th.* Atque haec ergasteria, quae, ut in *lege 5. de Met. C. Th.* est, mer-

F 4

cimo-

---

<sup>106</sup>) XLIV. 16. XXXIX. 44.

<sup>107</sup>) XLI. 32.

cimoniis deputata essent, (GOTHOFREDUS negotia in his exercuisse docte addit, ut ex *l. 32. de loc. et cond. C. Iust.* cerni potest) in operum publicorum numero habuerunt, vel, quod in publicum ex iis spectaretur, vel, quia istam pecuniae partem, quae ex locatione eorum redigeretur, ad principis aedificia exstruenda reficiendaque adhiberent. cuius quidem pecuniae, seu tabernariae pensionis summa certa ac definita fuit, nisi quibus urbibus clementer Imperator largitus fuisset, ut coronarium quoddam aurum, *oblatanum*, fisco offerre liceret *l. 42. de op. publ. C. Th.*



## § IV.



## §. IV.

*Ne quenquam hospitem recipere  
coguntor.*

**H**occine etiam priuilegium gentium  
ciuiumque iuri conforme sit? Eone  
iniquitatis, morumque asperitatis Romani  
procefferant, vt religionem nihili aestima-  
rent, eamque humanitatem, qua in hospi-  
tes peregreque aduenientes, summa cum  
laude, antea vti fuissent, non solum glorio-  
sam, sed ne suauem quidem putarent?  
cur enim beneficio pietoribus darent, vt  
ne hospites reciperent, nisi graue ac mo-  
lestum id iis fore credidissent? Prorsus  
ita visum est, idque cum de paucissimis  
ciuibus institui vellent, summa cum ratio-  
ne. Cum enim ea artis pingendi sit ma-  
gnitudo, vt eorum, qui illam tractent,  
animi, ab omni cura cogitationeque adeo

liberi esse debeant, neque vlla dies sine linea iis praetermittenda sit, quis Valentiniano succenseat, quod hospitibus pictores excluſerit, vnde non parum eos interpellari, et a pingendo detineri intellexeret. Priusquam hanc legem nobis illustrandam ſumamus, locus ille de hospitibus, quam ſanctè a plerisque gentibus culta ſint, pertractandus eſſe videtur. Conſideranti mihi naturam et gradus officiorum a veteribus ſapienter conſtitutos, ſatis magnam <sup>(108)</sup> Maſſurius Sabinus rationem habere viſus eſt, cur hoſpiti priorem, quam clienti, locum tribuendum putaret. Nam quamvis is, qui clienti fraudem feciſſet, aequè ſacer eſſet, quam, qui hoſpitem violaeſſet, tamen proximum non ſolum a parentibus locum obtinuit. de quo <sup>(109)</sup> HORATIVS:

*Illum*

---

108) *vid. GELLIUS* V. 13.

109) *Carm. LII. 13.*

*Illum et parentis crediderim sui  
Fregisse ceruicem et penetralia  
Sparsisse nocturno cruore  
Hospitis.*

atque *idem* <sup>(110)</sup>

*Quo sit amore parens, quo frater  
amandus et hospes*

sed etiam hoc anteponendus est, quod clientelae iura, ciuili, hospitii autem, gentium lege instituta sint, quibus videlicet, (nam pauci Cypriorum similes fuerunt) Dii ipsi ultores vindicesque hospitum iniuriae existere viderentur. Legimus proinde apud LIVIVM <sup>(111)</sup>, Annibalem Deos hospitales violatae a Prusia fidei testes inuocasse. In eorum numero Iupiter imprimis, quem *ἑνὸν* dixerunt, habitus fuit, isque ab *ἑστίᾳ* <sup>(112)</sup> vel *Ἀφίπταρος*, uti

AESCHY-

110) *A. P. v. 313.*

111) XXXIX. 52.

112) *vid. Schol. ad EVRIP. Hec. v. 351.* varia de his Iouis cognominibus doctissime EZ. SPANHEMIVS in *Diff. de Vesta et Prytanibus.*



AESCHYLO (<sup>113</sup>) vocatur, discernendus, qui nempe supplices *ἰκεσία χερὶ ἔλθοντες* (*ἰκετηρίαν* enim, virgam oleaginam, manu tenebant) obtegeret. Exstat de Ioue hospitali, seu hospite etiam, quod, vt in OVIDII (<sup>114</sup>) fabula scriptum est, ipse cum Mercurio, a Baucide et Philemone fuisset hospitio exceptus, locus apud HOMERUM (<sup>115</sup>), maxime memoratu dignus:

Ζεὺς δ' ἐπιτιμήτωρ ἰκετᾶν τε ξείνων τε  
 ξείνος ὅς ξείνοισιν αἰμ' αἰδοίοισιν ἐπηδεῖ.

haec iisdem fere verbis VIRGILIUS (<sup>116</sup>), vt in FVLV. VRSINO iam notatum fuit:

*Iuppiter, hospitibus nam te dare iura  
 loquuntur*

Propterea Menelaus, cum Paride, seu Alexandro, dimicaturus, Iouem precatur, vt acceptam

<sup>113</sup>) *Suppl. v. 1.*

<sup>114</sup>) *Met. viii.*

<sup>115</sup>) *Od. 6, 270.*

<sup>116</sup>) *Aen. I. 735.*

acceptam ab eo iniuriam ulcisceretur.

Hic enim PROPERTIO (<sup>117</sup>) teste

*Hospes in hospitium Menelao venit  
adulter*

Sed videamus ipsa HOMERI (<sup>118</sup>) verba, ubi

Menelaus Iouem poscit vindictam:

Ζεῦ ἄνα, δὸς τίσασθαι, ὅ μιν πρότερος  
καὶ ἐόργε

Δίον Ἀλέξανδρον, καὶ ἐμῆς ὑπὸ χερσὶ  
δάμασσον

Ὅφρα τις ἐρρίγησι, καὶ οὐ γόνυ ἀνθρώπων  
Ξεινοδόκον κακὰ ῥέξαι, ὃ κεν Φιλότῃα  
παράσῃ.

Potest, ni fallor, ξεινοδόκον κακὰ ῥέξαι vel  
sic explicari, vt praepositio εἰς seu πρὸς,  
*contra*, omissa sit. vel, quod certe magis  
placet, vt κακῶς τινα ῥέξαι, pro κακῶς τινα  
ἔχειν seu πράττειν *male habere aliquem*, vsur-  
petur.

117) II. 25. 7.

118) II. γ. 351

tur. Illud praeterea addam, *ξενόδοκον*, vel *ξενόδοχον*, (119) qui dicitur *ξενίζαν*, *hospitia excipere*

---

119) *ξενόδοκος* sicut *πανδόκος* Attice et Ionice. *PHRYNICHVS*, *πανδοχεῖον* οἱ διὰ τῆς χ' λέγοντες, αἵμαρτάνουσι. διὰ γὰρ τῆς κ' χρὴ λέγειν *πανδοκεῖον* καὶ *πανδοκεὺς* καὶ *πανδοκεύτρια*. *MOERIS ATTICISTA*, *ξενοδοκῶ*, *Αττικῶς*, *ξενοδοχῶ*, *Ελληνικῶς*. *THOMAS MAGISTER*, *πανδοκεὺς*, *πανδοκεύτρια* διὰ τῆς κ', καὶ ἔτι διὰ τῆς χ'. lego in Codice Optimi Patris nitidissime exarato, qui Rostgardii antea fuit: *πανδοκεὺς*, *πανδοκεύτρια*, *πανδοκεῖον* καὶ ἔτι διὰ τῆς χ'. *THEODVLO* nomen est *THOMAE* in hoc Codice, quemadmodum, cum in Monasterium se contulisset, dici voluit. Sed de verbo *πανδοπεύτρια* id moneam, *PRISCIANVM*, et *cauponam*, et *copam*, sic appellari, censere, certe ex *ARISTOPH. Ran.* 112. non satis liquet, *cauponam* significari. namque cum antea dixisset, *ἵνα μοι τὰς ξένους τὰς σὺς Φράσῃας*, quidni *feminae cauponariam exercentes* *ARISTOPHANI*, quem *coparum diuersoria non latuisse* putem, commemorentur? deinde, si Analogiam spectemus, *Φαρμακωρίας*, *veneficae*, nomine *Idyllion II. THEOCRITI* inscriptum habemus. at dubito, si tale nomen loci occurrat.

*excipere*, interdum ξένον appellari EVRIDES<sup>(120)</sup>:

ὡς ἑμοὶ πένης.  
 Εἴη πρόθυμος πλεσίᾳ μᾶλλον ξένος.  
 Αἰνῶ μὲν ἔν τῷδ' ἀνδρὸς εἰσδοχὰς δόματι.

ARISTOPHANES:<sup>(121)</sup>

ἵνα μοι τὰς ξένας  
 τὰς σὰς Φράσσαις, εἰ δεοίμην, δῶσι σὺ  
 Εχρῶ τόθ', ἥνικ' ἦλθες ἐπὶ τὸν Κέρβερον.

Praeter Iouem, Mineruae quoque ξένος<sup>(122)</sup> PAVSANIAS mentionem facit, cuius aequae ac Iouis simulacrum Lacedaemone fuerit. Tum vero<sup>(123)</sup> CALLIMACHVS auctor est, Dianam, quae θεὸς ὄρεως habetur, in eos,

οἷτε περὶ ξένας αἰλιτήμονα πόλλ' ἐπέ-  
 λισκεν.

gravi-

120) *Elect.* v, 325.

121) *Ran.* v. 169.

122) *Lac. cap.* XI.

123) *Hymn. in Dian.* v, 123.

grauiter animaduertisse. Locus iste PLAV-  
TI <sup>(124)</sup>

*Deum hospitalem ac tesseram mecum  
fero*

facile me inducit, vt hospites nonnunquam  
figilla deorum hospitalium secum attulisse,  
quo melius internoscerentur, credam.  
Tesserarum certe, de quibus THOMASINVS  
vberrime egit, aptissimus vsus fuit, cum  
ex similitudine earum hospites facillime  
dignosci possent. quam consuetudinem  
item ex PLAVTO <sup>(125)</sup> videre licet:

*HA. Si ita est, tesseram  
Conferre si vis hospitalem, eccam  
attuli.*

*AG. Agedum, huc ostende. est par probe.  
nam habeo domi.*

*et paullo post <sup>(126)</sup>:*

*HA.*

<sup>124</sup>) *Poen. a. V. sc. 1. v. 25.*

<sup>125</sup>) *Poen. a. V. sc. 2. p. 87.*

<sup>126</sup>) *ib. v. 92.*

*HA. Haec mihi hospitalis tessera cum illo fuit.*

Quare a vetustissimis temporibus hospitia religiose suscepta atque culta, imo, ut mihi videtur, cum ipsis populis orta, quod ratio, et natura ipsa ad hanc vitae coniunctionem ac societatem nos impellat. Omnis iis saeculis, quibus Herculem, aliosque indigetes deos, humana specie, terrarum orbem peruagatos fuisse ferunt, cum figmentis ea plurimis inuoluta videantur, illa potius repetamus, quorum memoria maiori lumine illustrata est. Constat autem, et ad vniuersos populos, et ad priuatos homines, pertinuisse hospitia. Ita, ut de illis tantum videamus, Troianis, teste VIRGILIO (<sup>127</sup>), antiquum cum Thracibus fuit hospitium. Romanos Hetruscam sibi gentem hospitio iunxisse, LIVIVS (<sup>128</sup>) refert,

---

127) *Aen.* I. 735.

128) II. 14.

fert, quibus vallem inter Palatinum et Capitolinum montem, quam inde Tusculum vicum appellarent, dederunt. Sine dubio ad ius hospitii, quo vniuersi inuicem populi coniuncti fuerunt, spectat illud etiam, quo, ex communi gentium sententia, legati, utpote qui totius populi nomine venissent, vsi sunt. his quidem apud Romanos, publico iussu, in nobilissimorum civium domibus locus fuit concessus. valde enim, ut CICERONI <sup>(129)</sup> visum est, decorum erat, *patere domos hominum illustrium illustribus hospitibus*. At hostium legatis non tantus honor habitus fuit, quibus, cum vrbe ineunda vetarentur, in villa publica, aedificio campi Martii, commorandum esset. Postea inuenimus, legatos sociorum nominis Latini, et reliquorum foederatorum, ad Saturni etiam aedem, quae in foro esset, diuertisse. ni fallor hic etiam posteritas

*Hospi-*

---

<sup>129</sup>) L. I. Offic.

*Hospitis aduentum testificata Dei.*

Inprimis laudata est Cretenſium hospitalitas, quorum in ſingulis aedibus et hoſpitale cubiculum, et duas in tricliniis menſas fuiſſe, ATHENÆVS (<sup>130</sup>), auctore Doſiada, rerum Cretenſium ſcriptore, narrat. Diſſentit aliquantum, vt apud eundem eſt, Pyrgion, qui præter θάνας ξενικῆς, vnā a dextra introeuntibus menſam memorat. Iouis eam hoſpitalis, et hoſpitalem quoque vocarunt. Tanta certe liberalitate tam Græci, quam Romani, in hoſpites uſi ſunt, vt dona etiam dapibus adderent. quod vtrumque munus ξένια appellant. de lautiis apud HOMERVM (<sup>131</sup>)

ξένια τ' ἐν παρέθμην, ἄτι ξένος θίμης  
ἔστιν.

Αὐτὰρ ἐπὶ τάρπημεν ἰδὲ τυός, ἡδὲ ποτῆτος.  
recte interpretati ſunt priorem verſum, *quemadmodum hoſpitem mos eſt*. ſic enim alio

G 2

loco

---

130) IV. 9. 10.

131) II. λ'. 776.



loco ἤτε, ξένων θέμις ἐστίν. *et si παραθῆναι*  
 etiam intellegi possit. Pictores in dapibus  
 iis pingendis, quae hospitibus mitterentur,  
 xeniorum vocabulum vsurparunt. de *mu-*  
*neribus* deinde accipiamus item apud HO-  
 MERVM (132)

Οἱ δὲ καὶ ἀλλήλοισι πόρον ξενήϊα καλὰ  
 nempe ζωτῆρα καὶ χρύσειον δέπας. Haec  
 quidem haecenus. Iam, quae iure ciuili  
 introducta sint, hospitii foedera perfe-  
 quamur. In his vero quae iucunditas  
 quodue solatium inesse potuit, cum mili-  
 tes, alienissimos homines, et, qui non  
 parum inuisi essent, legatos principum,  
 praesidiumque ministros, tertia aedium  
 parte, excipere iuberent, cum non officii  
 amicitiaeue causa, sed vt imperantium vo-  
 luntati satisfaceret, inirentur? non enim, vt  
 loqui solent, personae, sed patrimonii  
 vel possessionum erant onera *D.l.3. §. 17. de*  
*mun.*

---

132) Il. ξ'. 218.

*mun. et hon. l. 3. de mun. patrim. Cod. Iust.*, quae quidem alias nullo priuilegio tolli possent *D. l. 10. pr. de vac. et exc. mun.* Notissima sunt Metata, quae nunc locum, nunc ius hospitum, significant, ex *metis* appellata, quibus, ut PAVLLVS ad FESTVM animadvertit, castra dirigantur. Id enim metatoribus negotio datum est, vt locum castris designarent: mensorum vero fuit, VEGETIO <sup>(133)</sup> auctore, tabernacula domosque, vbi quisque habitaret, parare, nominaque singulorum in postibus scribere. quae qui deleuisset, falsi arguebatur *l. 4. de Met. C. Tb.* Quoniam igitur, (vt ad propositum reuertar) paullo ante diximus, hospitium ad patrimonii onera pertinere, nemini eius veniam concessam fuisse, probabile est, cum in regulis iuris scriptum sit, eum, quem commoda sequantur, incommoda quoque sequi debere. sed Im-

G 3

pera-

---

133) *l. 1. c. 2.*

peratores nonnunquam ab hac sententia decessisse, exemplis comprobari potest. Proinde immunes facti sunt liberalium artium professores *D. l. 10. §. 2. de vac. et exc. mun.* atque iidem separatim, Medici videlicet et professores artium *l. 3. 18. de Met. C. Tb.* illustri dignitate functi *l. 16. b. 1.* Decuriones et Silentarii <sup>(134)</sup> *l. 4. de Dec. et Sil. C. Tb.* Milites *D. l. 10. §. 2. de vac. et exc. mun.* Fabricenses, qui arma in publicum fabricarent *l. 8. de Met. C. Tb.* ut nonnullos praeterea taceam. Eandem vacationem pictores impetrasse, mirumne videatur? Sane lex ista de tollendo hospitio tam aequa tamque laudabilis visa est, ut Tribonianus etiam Codici <sup>(135)</sup> inferendam putaret. Scriptum enim ibi est: *nec non picturae professores, si modo ingenui sunt,*

---

<sup>134</sup>) PANCIROLLVS ad *Notitiam Imp. Orient.* c. 62. ait Silentarios curam habuisse, ne quis in Palatio strepitus excitaretur.

<sup>135</sup>) *l. 8. de met. et epid.*

*sunt, hospitali molestia, quoad viuent, liberari praecipimus.* num antea hoc beneficio ornati fuerint, non liquet. Certe, si quidem de ceteris Romani imperii vrbibus, idem, quod de Roma, sentiendum est, coniectura quadam in contrariam facile opinionem ducor. Cum enim <sup>(136)</sup> VALERIVS MAXIMVS tradit, Ptolemaeum Philometorem, vbi Romam venisset, vt opem sibi de regno a fratre deiecto ferrent, in hospitium Alexandrini pictoris se contulisse, videntur omnino pictorum domus hospitibus patuisse, quanquam hanc ipse coniecturam leuem existimo, cum sublatiſ cuius institutis, humanitatiſ tamen officia permaneant. Ceterum credibile est, hoc pictores etiam priuilegio caruisse, dum Principis Comitatus adesset, quia nominatim id esset exceptum *l. 14. de Met. C. Th. l. 4. h. r. C. Iust.* Iam cum huc, explicandis

---

136) *L. V. c. 1.*

plicandis Pictorum priuilegiis, peruenerim, apud beniuolos lectores mihi deprecandum esse sentio, nondum hanc scriptiunculam meam perfectam, et ad finem perductam esse. Ego vero, si exspectationi eorum aliquantum me satisfecisse intellexero, quam primum, Deo annuente, et hanc, quam coepi, Theodosii legem, et alia non inferiora, pro Pictorum dignitate, Principum iussa, persequar.

---

### Errata.

P. 16. τὴν pro τῇν p. 26. Halicarnassaeus, pro *Halicarnassaeus*, p. 36. Disserte, pro *Diserte*, p. 51. Cum, pro *cum*, p. 56. *post* Longe superauit, *omissum est*, *eum*, p. 62. spectabilis pro *spectabiles*.







